



9410



SANCTI BEATI,
PRESBYTERI HISPANI LIEBANENSIS,
IN APOCALYPSIN,
AC PLURIMAS UTRIVSQUE FOEDERIS PAGINAS
COMMENTARIA,

Ex veteribus, nonnullisque desideratis Patribus,
mille retrò annis collecta, nunc primum edita.

OPERA ET STUDIO

R. P. DOCT. HENRICI FLOREZ,
in Academia Complutensi Cathedræ Divi Thomæ quondam
moderatoris, & in suo Augustiniano Ordine Hispaniarum
& novi Orbis Exassistentis.



MATRITI MDCCLXX.

Apud **JOACHIM IBARRA,** *Catholicæ Majestatis Typographum.*

Cum Superiorum facultate.

SANCTI BEATI
PRESBYTERI HISPANI LIEBANENSIS
IN APOCALYPSIN
AC PLURIMAS UTRIVSQUE FORDERIS PAGINAS
COMMENTARIA,

Ex veteribus, nonnullisq; desideratis Patribus,
nullis retro annis collecta, nunc primum edita.

OPERA ET STUDIO

R. P. DOCT. HENRICI FLORES,
in Academia Complutensi Cathedra D. Thome quondam
moderatoris, & in suo Augustiniano Ordine Hispaniarum
& novi Orbis Praesidentis.



MADRITI MDCCCLXX.

Apud JOACHIM BARBA, Catholice Majestatis Typographum.

Cum Superiorum facultate.

HENRICUS FLOREZ

AUGUSTINIANUS

LECTORI.



Gregius quem tibi sisto in Apocalypsin B. Joannis Apostoli Commentarius, prodit nunc primum post decem ferè sæculorum curricula, quibus in abditioribus jacuit Bibliothecarum recessibus, inerteis pascens tineas, non absque majorum nostrorum dedecore, aut vituperabili negligentia. Inguerunt quidem nonnulli, uti Ambrosius de Morales, Nicolaus Antonius, & Mabillonius, dignissimum illum luce pronunciantes: at nullus ad editionem se accin-
sit. Ego post Codicem unum membranaceum adeptum, statim de non ultra publicæ invidendum luci cogitavi: aliaque ad trutinam exemplaria comparans; rem, si non omnibus absolutam numeris ob Codicum ruditatem, tamen, ut licuit aliis implicato argumentis, à cunctis ut lectitari possit quæ paucis ante pervia, disposui. Ut autem editoris muneri aliquatenus satisfaciam; de Auctoris ætate, vitæ conversatione, operis qualitate, deque Codicibus quibus ad hanc usi sumus editionem, aliquid præmittere oportet.

Patria, munera, & Monasterium Beati.

I Beatus re & nomine hujus scriptor operis, ea floruit tempestate, qua nec flores nec fructus disciplinarum sperare mundus posset: sæculo scilicet octavo, quo exitiosa Arabum in Hispania incursione, acie perpetua, nece continua, urbes desertæ, viri non nisi ad arma, vel ad planctum supererant. Montes singulare profugium. Ibi Beatus floruit, ut fructus, qui ex eo germinarunt surculo, cælo potius quam terræ ferantur accepti. Ejus nativitatis locus certo nullo distinguitur vestigio: at constat Liebanensem (1) Provinciam Cantabriam inter & Astures transmontanos, sedem illi præcipuam fuisse: nam Toletanus Archiepiscopus Elipandus, adversus eum scribens, Libanensem nominat, dicens, numquam auditum esse, *ut Libanenses Toletanos docuissent* (2): additque, Beatum *Libanam* maculasse (3). Illustris quoque Alvarus Cordubensis (cujus Opera tomo dedimus undecimo) sic inquit: *Ut Beatus Libanensis Presbyter dixit* (4). Et iterum: *Penè temporis nostri Beati Libanensis Presbyteri* (5). Fuit ergo Liebanensis Patria, vel habitatio: nec veri specie caret, si ex primo secundum adstruxeris.

2 Presbyterum eum fuisse nulli dubium, cum illud fateatur Elipandus in ejus quam Tomo V dedimus Epistola ad Carolum Magnum, *num. 2*, & ex laudatis Alvari verbis confirmatur. Sed & alia hinc oritur quaestio, Monachus ne fuerit, an non? Joannes de Tama-yo (6), & Henschennius, Monachum eum fuisse infi-

(1) *Lebanam apud Sebastiani Episcopi Chronicon (sub Alfonso I) scriptum. Ita & in Scriptura Appendicis tomi XIX. Hispanie Sacrae pag. 339. Apud Elipandum & Alvarum Cordubensem, Libana. Hodie Liebana dicimus, hacque utemur appellatione.* (2) *Tom. 5. Hisp. Sacrae pag. 536.* (3) *Ibi pag. 545.* (4) *Tom. XI. pag. 120.* (5) *Ibi pag. 127.* (6) *Martyrol. Hisp. Febr. 19. Hensch. ibidem.*

ciantur, hoc uno ducti fundamento, quod *Presbyter* à veteribus dicitur. Futile id visum Mabillonio, qui in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Tomo V, pag. 733, respondet, Monachos sacris initiatos, suscepti Ordinis vocabulis insigniri solitos, abjecta plerumque, rarius adjecta Monachi appellatione. Sic Hieronymus, sic Beda Presbyteri; sic Paschasius Radbertus Levita, alique eundem in modum nuncupantur.

3 Beatus verò noster nedum Presbyteri à laudatis, sed *Abbatis* etiam titulo donatur ab Alcuino lib. 1. contra Felicem, col. 789. his verbis: *Quod verò quemdam Beatum ABBATEM, & discipulum ejus Hitherium Episcopum, dicitis, huic vestræ sectæ primum contraire; laudamus eos, &c.* Nullos verò Abbatibus novimus ea ætate nisi Regulares. Quod autem, esto alii essent sæculares, Beatum Monachis accensendum, suadet ex ipsiusmet Beati verbis contra Elipandum, lib. 2. prope med. *Verè, inquit, bonum, & verè jucundum habitare fratres in unum. Unum fratrem dimisimus in sæculo: ecce quantos invenimus in Monasterio. Frater meus sæcularis non tantum me amabat, quantum substantiam meam: ceterum fratres spirituales qui sua utique negligunt, aliena non quaerunt.* Hæc Beatus: quæ sæculari homini nullatenus convenire possunt, sed aptanda necessariò Monacho, qui cum unum fratrem dimisisset in sæculo, longe plures spirituales fratres invenit in Monasterio.

4 Addit etiam Mabillonius alia ejusdem Beati verba ex Commentario quem hic damus nuncupatoria ad Etherium Epistola, ubi in gratiam eorundem spiritualium fratrum præsens scripsisse opus affirmat, dicens ad Etherium: *Hæc ergo Sancte Pater Etheri, te petente, ob ædificationem studii fratrum tibi di-*

*cavi, ut quem consortem perfruor Ordinis, cobe-
redem etiam faciam mei laboris.*

5 Ad professionem regularem quod attinet, inquit Henschennius, etsi constaret de Monachatu Beati, non ideò Benedictino Ordini adscribi continuò posse: cum plura eo tempore fuerint in Hispania Monasteria, quæ Regulam non erant Benedictinam amplexa. Sed cum jam alibi monuerimus, consulto nos ab hac abstinere controversia, quæ de Monasteriorum veterum agit instituto; de solo curavimus Monasterio in quo vixit, non ut illud certò, sed ut verisimilia statuamus. Antonius de Yepes Tomo I ad annum 537. cap.3. Etherium Monachum faciens domùs S. Turibii de Lievana, eidem Beatum adnumerat, verbis ductus laudatis, quod *consortes* fuerint Religionis.

6 Ego nullus dubito, quin Etherius & Beatus ejusdem fuerint filii Monasterii: id enim prælaudata indicant verba, & quod Alcuinus Beati dicit discipulum Etherium, qui ut Elipandus ait, junior erat (1). At ut Monasterio S. Martini (postea S. Turibii) de Liebana, Etherium adjudicemus, non satis Antonii de Yepes conjectura, ex quadam sub Era 866 (i. e. anno 828) donatione, facta Monasterio S. Martini *in loco, qui vocatur Torenza, & Religioso Presbytero Dno. Ethereo, & Monachis, &c.* qua sola Etherei voce Yepesius attendit, Etherio Beati discipulo rem totam (donationem scilicet ac Monasterium) adscripsit, utriusque tempora non dispiciens, quæ si expenderet, neutiquam confudisset: nam Beati discipulus anno 784. erat Episcopus: alter, cui donatio facta, post annos quadraginta Presbyteri solo titulo insigniebatur. Non er-

(1) Tom. 5. Hispaniæ Sacræ pag. 537.

ergo confundi ex nomine debuerunt personæ , quæ tempore ac dignitate adeò diversæ constant.

7 Mabillonius huic Yepesii conjecturæ non ad-
quiescens, *Ego*, inquit, *existimo extitisse aliquando*
Vallis-cavæ apud Asturias Monasterium, quod inco-
luerit, rexeritque Beatus. Nam in vita sequente eodem
secessisse dicitur: idemque locus hætenus ejus cultu
ac reliquiis illustratur. Vita, quam sequentem dicit,
nullius est ponderis, utpote sola Tamaii libidine con-
sarcinata, sub commentitio ab eo sæpè laudato Astu-
ricensi, quod nusquam fuit, Legendario.

8 Ceterum licet Monasterium apud Vallem-cavam
(hodie *Valcavado*) antiquitus fuerit (uti suadent quæ
infra dicemus *num. 23.*) non ideò Beati contubernio
assignabimus : quippe *Liebanensem* supra ab Elipando
& Alvaro nuncupatum audivimus, sed *Valcavado* ad
Liebanam non pertinet, cum sit propè *Saldanniam*
Castellæ veteris oppidum quatuor à *Carrione leucis*,
agro plano ad montis radicem, qua ad aspera *Lie-*
banensium juga via patet. Sanctus autem *Beatus* flo-
ruit in *Liebana* : non ergo vitam duxit in *Valcavado* :
sed propius ad testimonia veterum accedet, qui Mo-
nasterio *S. Martini* in *Liebana* accenseat, non ex præ-
citata *Yepesii* conjectura, sed quia id unum Monaste-
rium in eo *Asturiæ* confinio nobis constat. Nec obest
corpus apud *Valcavado* requiescere : cum id eo conti-
gisse possis dicere, quoniam ibi diem clausit extremum.

9 Claruit igitur *Beatus* in *Liebana*, *Presbyterii* or-
dine & *Abbatis* dignitate insignitus, in Monasterio (ut
suspiciari licet) *Divo Martino* sacro. Ibi & *Etherium*
disciplinarum ac regularis vitæ institutione nutritum,
ea suadent quæ supra ex *Alcuino*, ac ipsomet *Beato*
tradidimus, consortes scilicet fuisse religionis, de stu-

dio fratrum sollicitos, ac juniorem senioris discipulum. Etherius in adolescentia (ut Elipandus insimulat (1)) ad titulum Episcopatus Oxomensis consecratus fuit: unde & ipse in opere quod suo & Beati nomine prodiit, ait: *Ego Etherius Oxomæ Sedis indignus nominatus Episcopus*. Hinc Archiepiscopus Elipandus fratrem illum nominat, dum ad Fidelem Abbatem scribens, ita monet: *Adolescentiam sanè fratris nostri Etherii lacte adhuc alitam, & nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, vestra fraternitas erudiat* (2). Magisterium ergo Beati & adolescentia Etherii (jam Episcopi) præstare illum ætate, eruditione, & pondere doctrinæ convincunt. Ambo ut astra in caliginosa illa tempestate, alter disciplinarum arte, alter pontificali culmine refulgebant. Et quidem magna ac laudabili Numinis providentia, quod dum fideles sub heterodoxorum jugo tota australi plaga infecta gemebant, doctos pietatis cultores miserit, qui & fratres contra fraudes munirent, & lolium, si quod germinaret, eradicarent.

Beati adversus Elipandum libri an. 785.

Ita re ipsa præstiterunt in lubrico illo discrimine quo Felix, Urgelitanus Episcopus, & Elipandus Toletanus, Christum Dei filium adoptivum blaterantes, ceteros in suum errorem (Elipandus præcipue, ob eam qua pollebat Sedis auctoritatem) pellicere conabantur. Sed hi duo, Beatus & Etherius, gliscenti occurrerunt malo, sese ut murum pro Dei domo opponentes, & omnia adversariorum tela strenue propul-

(1) Tom. 5. *Hisp. Sacr.* pag. 537. (2) *Ibidem.*

santes. Percussus admodum Toletanus Præsul , ultra quam credere posses , hac Libanensium repugnantia , mirum quam procaciter flagitia , probraque Beato , etiam deformiora , ingeserit , *nefandissimum eum , sacrilegum , Antichristi discipulum , carnis immunditia fœtidum , & ab altario Dei extraneum* , convitians , simul ex nomine *Antiphrasium* appellans , hoc est , Beatum per *antiphrasin* , quasi ab opposito , cui nihil Beati inest , non autem (ut quorundam opinio est) Antifrasius , eo quod contradicit. De hac quippe locutione & interpretatione ipsemet Beatus perhibet testimonium , dum infra de Antichristi agens nominibus , **TITAN** , & **DIC LUX** per *antiphrasin* dicit *expressum* , quia *cum à luce superna privatus sit , transfiguratur tamen se in Angelum lucis , præsumens se dicere lucem*. En Antichristi nominis *Titan* , seu *Sol* , vel *Lux* , per *antiphrasin* expositio ; lucem se dicere volens , qui superna est luce privatus. Sic & Pacensis Episcopus Isidorus (1) , de quodam Judæo loquens , qui ceteros seducere volebat , per *antiphrasin* , inquit , *nomen accepit serenus* : quasi torvus vel turbidus potius quàm serenus dici debuisset. Sic & latini *Lucum* à luce , *Parcas* à parcendo per *antiphrasin* (quia nec *Lucus* lucet , nec *Parcæ* parcunt) dixerunt. Vide Augustinum (cap. 10. lib. *ad Consent.*) Ita & Elipandus Beatum per *antiphrasin* , *Antiphrasium* deridebat. Sanam quoque Beati sententiam ei adversam , hæresim dicebat Beatianam , utque impeteret , nullum non movit lapidem.

II Scripsit ad Abbatem quemdam Fidelem nomine , ipsi revera fidum , nam *suum* Beatus & Etherius

no-

(1) Tom. 8. *Hisp. Sacr.* num. 53. *Isidori Pacensis.*

nominant cum Elipando loquentes : *Dicis enim*, in-
quiunt, *Fideli tuo* (1). Eum ergo monuit Elipandus,
ut à *finibus Asturiensium funditus evellat hæresim*
Beatianam. Scripta hæc ab Elipando Epist. anno 785.
(Era 823.) mense Octobri. Protinus per Asturias vul-
gata quæ Archiepiscopus adversus Etherium & Bea-
tum objecerat : & ut erat præcipua & maxima Præ-
sulis inter Christianos auctoritas, nutabat, vel refri-
gebat eorum fides apud Astures.

12 Perlatum id ad aures eorum est : sed nec Fide-
lis Abbas nunciavit, nec ipsi Epistolam viderunt us-
que 26. Novembris diem ejusdem anni (non sequentis,
uti Vazquesius scripsit (2) quo ad Asturias & Fidelem
Abbatem, non litteris ejusdem compulsi, sed ex de-
votione religiosæ Dominæ Adosindæ, Silonis Regis nu-
per defuncti uxoris, acceserunt : & fidem suam sus-
pectam vel sugillatam offendentes, statim de bono no-
mine, vel potius de re catholica solliciti antidotum pro-
pinarunt, duos adversus errorem Elipandi libros eden-
tes, quibus & cum adversario prospere conflixerunt,
& errantes ad veritatis normam revocarunt. Ibi am-
plissimis Scripturarum eloquiis Christum qua homo est,
proprium Dei filium, non adoptivum, esse probarunt:
idque nedum veteris ac novi Testamenti paginis, sed
ad disciplinam Ritusque Sacros spectantibus argumen-
tis firmarunt : *Non philosophando* (inquiunt) *obscu-
ris sermonibus, sed simpliciter, ut omnes qui audie-
rint, alterum interrogare non indigeant. Et quia pro
fide recta est, non ornato politoque sermone, sed re-
bus manifestis ostendenda est, ut paulo post initium*

com-

(1) *Biblioth. PP. edit. Colon. 1618. pag. 348. & 368.* (2) *Tom. 1. in 3. p. quest. 23. disp. 89. cap. 1.*

commonefaciunt. Typis jam libri mandati Ingolstadii à Stevartio in *Collectione insignium Auctorum* anno 1616, & postea in Bibliothecis Patrum, atque in The-
sauro Monumentorum Eccles. Jacobi Basnage, tom. 2. recusati sunt. Ibi Etherii nomen Beato præponitur, non quod postmodum factus est Episcopus, uti infeliciter Basnage (§. 4. n. 2.) conjectavit: nam si nondum erat Episcopus; qua posset junior ratione præferri Abbati, Seniori, & Presbytero? Lapsus hic Basnagius, ad opus ab ipso recusum non attendens, ubi Etherius *Oxomæ Sedis Episcopus* palam dicitur (*Pag. ibi 309.*).

13 Sed esto honoris causa præponatur Etherius; operis verò auctor Beatus absdubio fuit, atque dicendus est, nedum quoniam Etherii magister, sed quia libri 2. initio Elipandum interpellans, ait: *Dicis certe, quod ego sum spiritus ille mendax erroris, &c.* quæ Elipandus non Etherio, sed Beato objecerat ad Fidelem scribens: ideoque auctor ea recensens Beatus est. Illustris etiam Alvarus Cordubensis Beato defert quæ ex laudato deprompsit opere, dicens: *Ex libro Beati contra Elipandum: : Ut Beatus Libanensis Presbyter dixit: numquam autem Etherium laudat auctorem.*

14 Susplicari, vel quærere aliquis forsan potest, an Etherius dexteritatem, industriamque Beati in exponendis Scripturis (ut illa Apologia indicat) expertus & demiratus, præsentem ei injunxerit provinciam, ut arcana Apocalypsis mysteria ei enodaret. Occasio quidem admodum opportuna: & verbis suprascriptis, num. 4. constat Auctorem nostrum Etherio Commentaria dicasse quæ ipsomet petente exaraverat. At dubio procul statuendum, non post concertationem contra Elipandum, sed antea, scripta fuisse hæc Commentaria, ut eorum cum Apologia evincit collatio temporis utro-
bi-

bique signati : præsens quippe opus in Apocalypsin scriptum Era 822. (hoc est , anno Christi 784.) ut lib.4. cap.7. pag.322. legimus : libri adversus Elipandum Era 823. anno scilicet sequenti , ut in Elipandi vita ostendimus Tomo 5 nostræ Hispaniæ Sacræ. Ergo post editos in Apocalypsin libros scripsit adversus Elipandum. Hinc de adoptione Christi altum ibi silentium, quòd scilicet nulla de hac quæstione orta tunc erat dubitatio.

15 Constat etiam Etherium anno 784. jam Episcopatus titulo decoratum , cum Presbyter Beatus eum honoris gratia *Patrem* appellet , verbis supra laudatis : *Hæc ergo Sancte Pater Etheri , te petente , &c... tibi dicavi , &c.*

Scriptis super Apocalypsin.

16 Hinc concors apud nostrates opinio de Auctore hujus in Apocalypsin volumine : estò enim nullus hucusque Codex sit visus , qui nomen ejus à quo scriptus manifestet ; Beato cuncti opus adscribunt , quod Etherio Patre , sive Episcopo , petente , sit compositum. Id tempus & utriusque nomen planum faciunt : nam anno 785. Beatum , & Etherium Episcopum cum Elipando concertantes videmus : ergo qui proxime antecedenti anno Etherio Episcopo petente , hujus Auctor fuit operis , est Beatus.

17 Consonant & aliæ circumstantiæ : nam Auctor post Isidorum , quem laudat floruit : idque optime Beato , qui sequenti vixit sæculo convenit. Item apud *Valcavado* , ubi sepultum corpus , liber etiam iste in Apocalypsin servabatur : rogatique populares , cur eis cura de libro ? Quia à nostro , inquirunt , Sancto compositus , uti Ambrosius de Morales testatur , addens ibi
ab

ab immemorabili spatio Codicem conservari. Cum autem Era 1008. id est, anno 970. illud fuerit scriptum exemplar (uti in fine dicit signatum) absdubio post illum annum Codicem compararunt.

18 Hic postea Codex in Collegium Divo Ambrosio Vallisoleti sacrum, fuit translatus, ibique eum se vidisse atque legisse ait frater Gregorius de Argaiz, Benedictinus in Theatro S. Ecclesiæ Legionensis, cap. 29. pag. 163. ubi in fronte primi folii hæc verba scripta esse testatur: *Sempronius Abba librum: à tergo vero: Hoc opus ut fieret prædictus Abba Sempronius instantanter egit, cui ego Oveco indignus, mente obediens devota depinxi.* Infra verò sub libri initium notatum inquit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi initiatum est liber iste Apocalypsis Joannis sexto Idus Septembris sub Era millesima octava.* Hoc sanè tempus est quo Ambrosius de Morales finitum dicit librum à se visum qui erat in Valcavado, die scilicet octava Septembris, sub Era millesima octava (i. e. anno 970.) nam esto in fine id scriptum moneat, & Argaiz assignet initio; forsàn utrobique id scriptum, aut Morales lapsus, vel alter. Dies certe & Era non discrepant.

19 At magnam ibi litem movet Argaiz, dum Ovecum illius libri exscriptorem, Sanctum dicit esse apud Valcavado sepultum, atque in veneratione habitum tamquam Divum. Sed nullam pro re tanta ac inaudita probationem exhibet (uti nec pro aliis, quæ capite 15 jactaverat). Sola fortè nominis deformatione apud populares nititur, qui Sanctum ibi cultum *S. Bieco*, vel *Be-co*, aut *Obeco* dicunt. Morales ubi supra *Vieco* per V scripsit, ita inquires appellant veteri vulgari Beato corrupto vocabulo (alias sane majores patimur corruptiones, ut *Elvira* pro *Geloira*: *Baya* pro *Eulalia*,

&c.) Argaiz nomen illud ad scriptorem Oveco, ceteri ad Beatum accommodant.

20 Sed de Oveco transcriptore nulla etiam apud hunc recentiore notitia superest, quàm exarasse Codicem: id autem ut ei cultus Sancto ibi tributus deferatur, satis esse non potest, cum vox illa *Bieco*, vel *Beco* potius Beato, quam Oveco respondeat ex vulgari vernaculi sermonis inflexione, qua e litteræ *i* præponimus: ut *bene* bien: *certo* cierto: *terra* tierra: *Lebana* Liebana, &c. Sic *Beato* Bieato, postea vulgi corruptione atque compendio *Bieco*, vel *Beco* dici potuit. Vel si ex Oveco vulgi nomen derivatum, id post Codicis adeptionem ortum dicemus: proclive namque est, Valcavandenses instructos, Sanctum super Apocalypsin scripsisse, de exemplari comparando sollicitos, & illud ab Oveco transcriptum adeptos post annum 970. (in quo scriptum) custodiæ tradidisse. Postea id forsani nominis corruptioni ansam præbuit: nam certi à suo Divo Commentaria in Apocalypsin scripta, & in exemplari ibi servato, ab Oveco exaratum legentes; Auctorem cum scriptore confundere non difficile: unde Beatum & Ovecum confundentes, *Bieco*, *Beco*, vel *Ovecum* pronuntiarunt. De hac vero nominis corruptione nulla prædicto Argaiz cura nec mentio, cum in ea totus opinionis ejus cardo versetur, & in Ambrosio de Morales non Oveco dictum, sed *Vieco*, & in Yepesio *Bieco*, ei videre licuit: illi tamen non alteri quam Beato opus & appellationem attribuunt.

Convitia ab Elipando intentata.

21 Missam verò vulgi appellationem facientes, nunc de vitæ ratione Auctoris tractantes, miramur, Já-

cobum Basnage , loco supra citato , præcipue curasse de convitiis ab Elipando intentatis , quæ supra retulimus num. 10. Imò cum Basnagius ipse scripserit : *Convitia nihil moramur , quia vehementior multo quam debuerat fuit Elipandus* ; cur convitia de fœditate Beati unius Elipandi ore notata , tanti facit ? cur statim subdit : *Præcipua nobis circa illa incumbit observatio* ? An præcipue illi merito cura est de iis quæ nihil moratur ? Verbis omnino facta refragantur : nam tota illi cura est de objecta fœditate , quasi falso Elipandus Beatum arcesere non posset : imò Basnagius Felicem , erroris Elipandi Magistrum , præstare Beato innuit , cum sua facit elogia quæ Elipandus Felici erranti accumulavit , per hæc verba : *Huic fœtido* (de Beato loquitur Basnage) *opponerat Elipandus Felicem , quem novimus* (inquit Elipandus) *ab ineunte ætate charitate summum , pudicum , & moribus ornatum* : hacque oppositione contentus Basnagius , nihilque ultra reprensens , Felicem errantem præferre Beato feliciori subindicat. Nempe ut heterodoxus Basnagius de iis quæ Catholica non probet Ecclesia patrociniū arripiet : infeliciter tamen , uti pro Felice & Elipando errantibus stare volens contra Beatum & Alcuinum : malam causam , pejorem suo facit patrociniū.

22 Beati quidem gloriæ vertendum quod ab Elipando erranti probris afficiatur : nam si laudaretur ut Felix , infelix censeretur. Ergo morari non oportet crimina Beato intentata ab adversario , qui mendax & injurius omnino fuit , nec Sanctis pepercit Patribus , falsa illis attribuens , vel eorum depravans scripta , uti in Synodica Francfordiensis Concilii Patres declararunt , dicentes : *Sanctorum Patrum testimonia invenimus posita , sed malè perfidiæ veneno corrupta*. Al-
 cui-

cuius etiam Elipandum ait Patrum immutasse sententias , idque Felicis conversi Epistolis deprehensum , uti latius in tertio Hispaniæ Sacræ Tomo demonstravimus (à pag.263.). Si ergo Patrum testimoniis iniquus ; quid mirum falsa ingereret Presbytero firmiter adversanti ? Beato magis laudi est , quod ab Alcuino (verbis supra datis) laudetur.

23 Laudavit etiam ejusdem ferè temporis Catholicus Alvarus Cordubensis , qui Beati Libanensis Presbyteri sententias cum aliis Ephesini Concilii , Hieronymi , Fulgentii , & aliorum , magna veneratione consociat : idque validum pro fama Beati posthuma testimonium , cum eo jam defuncto tanta ei deferatur auctoritas , ut pro veritate stabilienda , sicut Sanctorum Ecclesiæ Patrum , ita ejus adducantur testimonia.

Ejus cultus in Diœcesi Legionensi.

24 Hæc à coævis accepta existimatio maximè apud posteros increbuit , qui eum terque quaterque Beatum dicunt , & tamquam Divum reverentur loco ubi sepultus , & finitimis , in Diœcesi scilicet Episcopatus Legionensis versus villam *Saldanniæ* juxta quam oppidum fuit Vallis-cavata dictum (vulgo *Valcavado*) jam in solitudinem temporum injuria redactum. Ibi Monasterium fuisse suadent monumenta ab Argaiç exhibita ex Tabulario Monasterii S. Turibii de Liebana sub annis 1036 , & 1077 (1). Ibi etiam Sanctus (de quo nobis sermo) sepultus. Ibi seorsum à corpore brachium ejus fuit , *quod magna* , inquit Morales , *eneratione ostendunt* (2).

De

(1) Tom.6. pag. 163. (2) Morales lib. 13. cap. 27.

25 De hoc ego sepulchro, atque brachio sollicitus, nonnulla comperi auspicio, gratia, & humanitate Excellentissimi Domini Ducis *del Infantado*, qui ut Dominus oppidi de Saldaña, à me quæsitis satisfieri quam diligentissimè curavit: constatque oppidum de Valcavado annis retro 133. jam esse desolatum, ante annum scil. 1635, nullumque hodie extare sepulturæ vestigium. Argaiz, qui anno 61 sæculi præcedentis Tomum sextum absolverat, ait pag. 163. Sancti corpus consumptum ob uliginosum agrum amnis juxta fluentis causâ. Facere etiam præcipuè potuit, ut sepulchri deleteretur memoria, & humilitas sepulturæ, & frequens populorum circa brachium studium: ad quod in angustiis, ut in proutu magis & manifestius, confugientes, corpus terræ mandatam naturæ officio commissum est.

26 Ceterum cum oppidum incolarum frequentia destitueretur, præcipua Diocæsano Episcopo cura fuit de Reliquiis, stricteque præcepit oppidorum de Valcavado & Valcavadillo Parocho, claves Ecclesiæ de Valcavado tradere Licentiato Joanni Gallo de Velasco, Rectori Ecclesiæ S. Petri de Saldaña, ut quoniam toto illo tractu magna erat Fidelium pietas erga Reliquias *de Sancto Obeco*, & habitatoribus deficientibus latrocínio expositæ, nec digno erant honore servatæ; eas ad sacellum Sanctæ Mariæ de Valle extra muros Villæ de Saldaña transferret.

27 Notum id factum Petro de Iglesias, Parocho de Valcavado & Valcavadillo, qui quantum potuit obtulit, postulans abrogari præjudicium, quoniam in damnum suorum oppidorum vergebat. Sed prævalentibus quæ in contrarium erant causis, judicium absolutum, & Parocho S. Petri de Saldaña injunctum, ut publica

indicta processione ad Ecclesiam de Valcavado accedens cum Judice Præfecto Villæ de Saldaña ac Decurionibus, magna ut decebat reverentia, præfatas acciperet Reliquias, & ad Sacellum S. Mariæ de Valle transferret, tradita suprascripto Petro de Iglesias cautione de re accepta, & quod eam creditam dignè & manifestò ibi servabunt, donec aliud ab Illustrissimo Episcopo fuerit ordinatum. Legionensem tunc Ecclesiam gubernabat Illustrissimus Dominus D. Bartholomæus de Risoba, qui hæc suo statuit Decreto anno 1635. die Julii vigesima: & notificato dicto Petro de Iglesias, dies constitutus fuit pro translatione Dominicus proximus 29 ejusdem mensis & anni.

28 Præerat tunc Villæ de Saldaña Judex D. Rodericus de Cosio: Decuriones erant Urbanus de Pedrosa, Gregorius Ortiz, & Gregorius Gomez de la Vega: Procurator Generalis, Bartholomæus Santos: qui omnes cum Clero & Populo eodem die sacras transtulerunt Reliquias, & in Altari majori Sacelli Sanctæ Mariæ de Valle conlocarunt, obserantes custodiæ locum, & clavem Domino Didaco de Pedrosa Parocho Ecclesiæ D. Michaelis in Saldaña (cui prædictum annexum S. Mariæ Sacellum) tradiderunt. Id totum juridicè peractum, & de eo fidem præbuit Gregorius de la Vega, publicus Villæ de Saldaña Tabularius, uti ad me transmissa Acta, testimonio Josephi de Quijano (præfati successoris) firmata, certum faciunt.

29 Constat etiam Ecclesiam de Valcavado solo æquatam anno 1674. utilibus quæ supererant fragmentis alteri proximæ de Valcavadillo attributis, præter tintinabula, quæ ad Sacellum S. Mariæ de Valle fuerunt deportata. Ibi Reliquiæ præcipua quotannis coluntur veneratione die prima Maii, qua illuc Decurionum

num Ordo cum Judice, Officialibus, ac populo concurrentes, eas publicè reverentur. Sunt autem præfatæ Reliquiæ ossa omnia unius brachii naturali ordine intradauratum lignum sub brachii forma, adjecto ad faciem crystallo pro conspectu, disposita & conlocata. Hæc sunt quæ de præsentis rei statu comperire hucusque licuit, ex quibus Sancti cultus perpetuus apparet usque in præsentem diem, Decreto Diocesani Episcopi confirmatus.

30 Monere etiam oportet in acceptis de re præsentis documentis varie nomen scriptum reperiri, *Beato*, *Beco*, *Beyo*, & *Obeco*: apud Morales *Sancto Vieco*: Yepes *S. Bioco*. Laudatum Episcopi Decretum patri datum sermone, scribit *Reliquia de Sancto Obeco*. Sæculo præcedenti nominabant Morali teste *Vieco*: vel juxta Yepes *Bioco*: hodie *Beco*: atque nonnulli *Beyo*, sed nulla in novissimis documentis expressio vocis *Obevo*. Variat ergo vulgus nulla lege, scriptoresque parum de orthographia solliciti vocem mire deformarunt: at de persona rogati pro Beato, Etherii Magistro, respondent Morales, Lobera (fol. 321.), Yepes (tom. 3. fol. 281. b.), & ceteri qui de Beati agunt sanctitate, Nicolaus Antonius, Wion, Menardus, Mabillonius, & Henschennius cum Tamajo, sub die 19 Februarii.

31 De anno obitus nihil certum. Tamajus loco citato, annum Domini 798 assignat. Sed qui parvam aut nullam fidem illi habeant (ut inquit Nicolaus Antonius) *non faciunt ei ullam injuriam.*

De hujus operis qualitate atque præstantia.

32 Ambrosius de Morales, potentissimi Hispaniarum Regis Philippi II Historiographus, de hoc agens

opere in *Itinere* à nobis edito , pag. 51. inquit , ad Catenæ aureæ formam esse compositum ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio , Fulgentio , Gregorio, Tichonio, Apringio , & Isidoro : dignissimumque illud luce publica judicare. In Chronicis vero suis *lib. 13. cap. 27.* ubi de Beato agit , ita hispanicè , nos latinè , inquit : “Presbyter hic bonus Beatus insignem etiam scripsit in Apocalypsin Commentarium , in formam , ut dicunt , Catenarum , ex veteribus Ecclesiæ Patribus , qui sublimius in Sacra scripserunt Biblia. Nonnulla ibi reperiuntur quæ alibi non habemus : plura in diversis Sanctorum operibus sparsa , illic opportune ad singula altissimi illius novi Testamenti libri capita , quæ enodantur , collecta : ideoque opus magno est in pretio habendum.”

33 Sed de Catenæ forma dictum , non id strictè accipias , quasi ad singula expositionum capita Patrum inliget dicta : sed quia hic adlatæ expositiones frequenter , ac plurimum , aliorum quos initio laudavit Patrum , verba sunt. Noluit autem (sicut in sua postea Catena Doctor Angelicus) singulis in locis , nec semel , nomen ejus præponere cujus expositionem transcribebat. Id nos hodie supplere , vel perpetuis ad marginem notis præstare non valuimus , nedum quia prolixum nimis & laboriosum , sed quia nonnullis deficientibus Auctoribus ex quibus se verba mutuasse ait ; certo res discrimini subjaceret. Dum verò aliqua exurgit dubitatio , ad calcem , seu oram , Auctorem designamus.

34 Hinc præcipua hujus operis utilitas patet , nedum quia absque labore & dispendio emendi , perquirendi , & evolvendi Sanctorum PP. opera , præcipuos Apocalypsis explanatores simul collectos ac veluti concatenatos hic habes ; verum quoniam in præsentī solum

commentario perstant quæ nusquam ex veteribus Scriptoribus reperiuntur. Extant quidem Commentaria in Apocalypsin Victorino attributa, altera Tichonio (de quibus statim) sed nullibi Apringii opus hucusque detectum. Hinc forsitan nova suboritur utilitas: nam plura quæ in aliis sub Victorini, & Tichonii nominibus vulgata commentariis, in his de verbo ad verbum excerpta reperies: nonnulla, ni fallor, quæ nusquam: ergo & comprobare poteris quæ Scriptoris nostri ætate Victorino, ac Tichonio accepta ferebantur, & Apringio eas adscribere expositiones, quæ nullius ex præcitatæ fulciuntur auctoritate. Expositiones inquam, non alia quæ ad morale documentum de suo adjecit Auctor. De explanationibus verò, non à se conceptas inquit, sed in Patribus quos laudat, repertas: *Non à me*, ait, *sed quæ à Sanctis Patribus explanata reperi, in hoc libello indita sunt.* Hinc *thecam* omnium librorum, vel cunctorum vocat *claviculam*.

35 Alia etiam utilitas ex methodo, qua rem obscuram nimis, & altissima Apocalypsis arcana, nullo legentis negotio pervia facit, quasi rem paulo antegestam simpliciter enarraret.

36 Aliud insuper accedit emolumentum ob plures quas hinc pro Sanctorum Patrum operibus mutuare possis variantes lectiones, uti ex nonnullis à me collatis sententiis experimento comperi, & ut id admonerem impullerunt.

37 Nec prætermittendum est, esto præcipuum erga Joannis Apocalypsin Auctori studium fuerit; obiter tamen tot utriusque fœderis, Prophetarum præcipue ac novi Testamenti, testimonia perstringere, ut totius fere Scripturæ clavem hunc possis dicere commentarium. Hujus qui periculum subire voluerit, experi-

mento (ni multum fallor) comperiet , non temerè à nobis esse prolatum.

De Scriptoribus ab Auctore memoratis.

38 Cum ea quæ *Spiritu Dei inspirati* , loquuti sunt *homines Dei* , propria non sint tractanda opinatione , sed majores consulendo , Beatus , ut auctoritatem suo conciliaret operi , eorum quos *Duces & Magistros* selegerat , indicem texuit. Ii autem sunt , *Hieronymus* , *Augustinus* , *Ambrosius* , *Fulgentius* , *Gregorius* , *Tichonius* , *Irenæus* , *Victorinus* , *Apringius* , & *Isidorus* : qui tamen non omnes in *Apocalypsin* suam navarunt operam : at cum eorum scripta optimè nota essent Auctori , eos selegit flores qui plurimum ad rem suam conferrent , quibusque veluti apis artificiosa defœcatum posset favum confingere.

39 Notissimi quidem sunt præcipui *Ecclesiæ Doctores* : est tamen erga id ipsum nonnihil præmonendum , ne quis in *Apocalypsin* eos omnes scripsisse opinetur. De *Irenæo* (quem aliqui prætereunt *Codices*) esto nonnullis placeat , super *Apocalypsin* scripsisse , alii refragantur : *Hieronymus* quippe ejus recensens opera , nullam de tali scripto mentionem facit , nec illud ea *Sancti Doctoris* , inquit , verba suadent , quibus de *Apocalypsi Joannis* (cap. 9.) agens , eam interpretari dicit *Justinum* , & *Irenæum* : hoc namque vere asserere potuisse respondent , ob ea quæ *Irenæus* libris adversus hæreses ex *Apocalypsi* recenset. Ut ut sit , noster eum laudare potuit Beatus , nedum ex iis quæ ad *Antichristum* & alia *Apocalypsis* spectant capita , verum ob multa quæ perstringit argumenta. Sic *Isidorum* laudavit ex pluribus ab eo desumptis , quæ non ad *Apocalypsin* , sed ad

Ecclesiasticam spectant hierarchiam. Sic & *Gregorium*, ob plurima ab eo mutuata, quæ non sunt in Apocalypsis expositionem necessaria. Multa etiam ex *Augustino*, ac *Fulgentio*, de gratia, aliisque decerpit, quin & ex innumerabilibus libris pauca se proferre testatur. Hinc omnium librorum thecam (prout illa ferebat ætas locique angustia) hunc ei dicere libuit commentarium.

40 De Sancto *Ambrosio*, idem ac de aliis qui in Apocalypsin commentaria non ediderunt, potest esse iudicium: nam quamvis ejus nomine vulgatum opus sit; cum plurimæ ei inspersæ sint Beati Gregorii sententiæ, Ambrosii esse non potest. Nonnulli cuidam Berengario (quem circa decimum floruisse sæculum Calmet in Bibliotheca Sacra testatur) scriptum illud, sub Ambrosii editum appellatione, tribuunt: at dato verum operis auctorem fuisse prædictum Berengarium; de eo noster loqui nequiquam potuit, qui duobus ante sæculis floruit.

41 De *Hieronymo* ortam apud nonnullos hæsitacionem urgere noster potest, vel confirmare asserentes sanctissimum Ecclesiæ Doctorem Apocalypsin, esto non per singula, per plura, vel nonnulla capita, exposuisse, cum hîc Prologum ex Hieronymo noster adducat, in quo legimus: *Cujus tamen Scripturæ* (Joannis scilicet Apocalypsis) *dispositio, vel libri ordinatio, ideo à nobis* (Hieronymum subintellige) *per singula capita non exponitur, ut nescientibus inquirendi desiderium collocetur.* In altero Sancti Doctoris Prologo ad Victorini commentarium (quem hic transcribit etiam Beatus): *Si vita comes nobis fuerit* (inquit Beatus Hieronymus) *tibi nostrum in hoc volumine* (Apocalypsis) *potissimum sudabit ingenium, Anatholi carissime.* Huic Sancti Doctoris voto, si laudata adjun-

gas verba , de facta per nonnulla capita expositione ; & scripsisse in Apocalypsin credes , & multa hinc reperiri quæ aliàs neutiquam , ac opus inter deperdita numerabis. Casiodorus quidem insigne de Sancti Doctoris Commentario præbuit testimonium , dicens , libro de Divinis Lectionibus , cap.9. *Apocalypsis... Sancti Hieronymi expositione conspicua est.* Ergo sæculo Ecclesiæ sexto , & octavo vergente , Commentaria in Apocalypsin , Hieronymi inscripta nomine , perseverabant.

42 Se Sancto *Victorino* Petavionensi (non *Pictaviensi*) in superiori Pannonia Episcopo , & Martyre , non dubium in Apocalypsin scripsisse , uti Hieronymus in Catalogo , cap. 74. testatur. At ejus Commentarium genuinum , purumque desiderari , statuunt viri docti : quoniam Hieronymus cap. 18. (& hic in Prologo secundo ejusdem) Chiliastarum opinione ductum affirmat : qui *Victorini* vero nomine in Bibliotheca Patrum extat Commentarius , nedum (ut *Miræus* observat) eo caret errore , sed illum postremis libri verbis oppugnat. Ego vero nullus dubito , majori , si non tota reliqua libri parte , lucubrationem esse *Victorini* : nam *Primasius Afer* , & *Beatus* qui ex *Victorino* asserunt sententias desumere , iisdem , quibus ibi leguntur verbis , suas faciunt. Noster quidem Chiliastarum errori aperte adversatur c. 20. p. 532. 567. Sed multa ex *Victorini* opere hic transcripta reperies. Quapropter licet *Victorini* nomen in quibusdam prætermittatur Codicibus , illud *Beatum* laudasse non dubitamus , nedum quia plurimæ hic illius sententiæ , sed quoniam ex quodam *Legionensi* Codice , *Victorini* laudari nomen testatur *Joannes Baptista Perez* in *Notis ad Apringium Sancti Isidori* , in de *Viris illustribus* cap. 30. uti in *Hispaniæ Sacræ Tomo V. pag. 439.* cernere licet.

43 *Tichonius Afer*, Theodosio & filiis imperantibus, in Apocalypsin scripsit, teste Sancto Patre Augustino, 3. de Doctrina Christiana, & exposuit ex integro, ut auctor est Gennadius in Catalogo, cap. 18. Opus vero ejus, ut ab eo exiit, intercidissee, extra dubium: nam quod nonnulli Tichonio tribuerunt, & in appendice operum Sancti Patris Augustini Tomo 3. vulgatum; diversum est, uti Congregationis Sancti Mauri Patres in prævia declarant admonitione: cum *super-
vacua, inepta, & sanæ doctrinæ contraria*, quæ Primasius in eo se deprehendisse ait, in vulgato non habeantur. His & aliis observationibus constat, Homilias quibus præfata in Apocalypsin expositio clauditur, non à Tichonio, sed ab alio consarcinatas, plura ex ipso quæ sano congruunt sensui (ut Primasius fecit) deflorando. Ita & Beatus noster: nam multa prout ibi, hic absque ulla reperies varietate.

44 Denique Apringium laudat Beatus, de quo Isidorus insigne præbuit testimonium, cap. 30. dicens: *Apringius Pacensis Hispaniarum Episcopus, disertus lingua, & scientia eruditus, interpretatus est Apocalypsin Joannis Apostoli subtili sensu atque illustri sermone, melius pene quam veteres Ecclesiastici viri exposuisse videntur.* Claruit ab anno 530. Huic nonnulli præsens tribuerunt opus, de initio non curantes, ubi ex Apringio, & aliis depromptum Auctor asserit. Ceterum præclarus Apringii Commentarius lucem hucusque non vidit. Morales in Itinere à nobis edito (p. 94.) librorum Sanctæ Ecclesiæ Ovetensis refert Catalogum Era 920. hoc est anno Christi 882. adnotatum, in quo legitur, *Apringii Episcopi, & Junii in unum corpus.* Postea mentionem facit Morales de præsentī Apocalypsis expositione, à Beato (ut non te-
me-

mere suspicatur) scripta. Ergo illud Apringii opus, quod jam anno 1572. desiderabatur , nec interciderat anno 882. verus erat Apringii Commentarius.

45 Nec me latet Ludovicum de Alcazar quatuor sub Apringii nomine recensere à se visa exemplaria: tria in Escorialensi Bibliotheca , & alterum Vallisoleti apud Patrem Padilla ejusdem Societatis (1). At in multis lapsus Alcazar ibi , & sectione 1. agens de Beato, seu Bieco , deque ejus Commentario in Ecclesia oppidi *Valcavado* : nam sect. 1. n. 7. inquit Beatum scripsisse anno 970. idque iterum affirmat num. 10. (ex quo falsus Lelong eandem Beato tribuit ætatem , quæ non auctori , sed descriptori operis assignanda , ut supra num. 17. & 18. animadvertimus). Illud ergo exemplar Valcavadense ab Oveco jussu Sempronii Abbatis descriptum , ut genuinum Beati non Apringii opus recenseret Alcazar ibi , quoniam ex Apringio , & aliis auctor inquit collectum. At id ipsum exemplar est quod statim Alcazar tribuit Apringio , apud Patrem Padilla Vallisoleti servatum (ut inquit sect. 3. n. 1.) scilicet, illud ipsum Valcavadense Vallisoletum translatum : quin aliud ut Apringio vendicet , non Beato (uti *suspicatus* , inquit , *initio fui*) monumentum afferat , quam Ovecum, à quo absolutus liber fuit Era 1008 (anno 970.) descriptorem , non auctorem operis fuisse : idque certum : at cur non Beatus , sed Apringius auctor ? Immò Beatus , non Apringius , cum ex Apringio multa se collegisse , initio illiusmet Codicis , auctor fateatur.

46 Hæc ab Alcazar animadversa ratio ex notis ad Viros illustres Sancti Isidori (quas perperam Joanni Grial

(1) *Notat. 26. in Proöm. Apocalyp. sect. 3.*

Grial tribuit, cum sint Domini Joann. Bap. Perez) optima ei visa ut Beato deferat opus : at eadem pari evincit efficacia , alios ab Alcazar enumeratos Codices, Apringio non esse vendicandos , estò ejus præferant nomen : tum quia inscriptio hæc recens adjecta (ut fatetur Alcazar) tum præcipue , nam inter eos quos se deflorasse asserit auctor , Apringius ipse recensetur. Nullus ergo superest Codex ex quatuor ab Alcazar enumeratis, quem ei certò possimus vindicare.

47 Apringio velut germanum opus attribuit Ludovicus de S. Laurentio Cordubensis, Ecclesiæ Hispanensis Portionarius, Codicem Barcinonæ servatum, quem editioni paraverat : sed è vivis sublatus, exemplar Hispanali mansit anecdotum apud Cl.V. Martinum Vazquium Siruelam, ibique egregius Vir D. Nicolaus Antonius transcripsit, & Apringii Præfatiunculam in sua edidit Veteri Bibliotheca Hispana, *tom.1. lib.4. cap.2. pag.211.* quam hic pag. 36. cum varia reperies lectione, omissa altera quam antiquario attribuo : *Si formem*, pro *Bi-formem* : nam statim *duplici* inquit *mysterio disserendam*. Plura sane in hoc Beati opere reperiri non dubito Apringii verba, cum utriusque patria, & operis excellentia præ ceteris familiarem ei fuisse polliceantur : & inde singulare huic accrescit commentario commodum & existimatio, cum in eo serventur quæ nequicquam alibi quæras.

His Auctoribus suas firmasse lucubrations fatetur Beatus : cumque illi præcipui sint Ecclesiæ Doctores; inter præcipuas etiam referri potest expositiones quæ tot tantorumque Scriptorum sentiis elaborata atque munita est elucidatio.

*De nominibus Antichristi à Beato ex præfatis acceptis,
& de aliis.*

48 Nonnulla quæ infra Beatus nomina tribuit Antichristo, apud eos ab ipso laudatos Patres invenies. Libet autem de nominibus illis nonnihil monere commentarii instar, ad quod postea suis locis lectorem possumus revocare.

49 Dixit Sanctus Evangelista neminem vendere posse, aut emere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestię, aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestię: numerus enim nominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex, cap. 13. v. 17. Hinc multi sapienter versantes hunc numerum, plura adduxerunt nomina, quæ DCLXVI. suis ostendant elementis, idque secundum numeros Græcorum ad quos scribit Joannes Evangelista. Beatus octo recenset nomina, quarum nonnulla apud veteres ab ipso citatos Patres cernere licet, id est,

50 *Titan*: de quo Sanctus Irenæus lib. 5. cap. 30. est quippe nomen prædictum continens numerum 666. sub hac forma (numeris græcorum litteris designatis).

Divinum, inquit Irenæus, putatur apud
 T 300 *multos esse hoc nomen, ut etiam Sol Ti-*
 E 5 *tan vocetur, &c. De hoc potuit nomine*
 I 10 *S. Beatus loqui, dum inquit: Quo no-*
 T 300 *mine per antiphrasin expressum intelli-*
 A 1 *gimus Antichristum, qui cum à luce su-*
 N 50 *perna privatus sit; transfignat tamen*
 666 *se in Angelum lucis, præsumens se di-*
cere lucem (infra pag. 442.). Id rectè de

nomine Titan, seu Sole, dictum posses accipere, nisi postpositum nomen DICLVS, præponere ad illam intelligentiam oporteret: quod cum insolitum durius-

culumque videatur, & ut quæ de antiphrasi scribit, eo quo jacent loco (post DICLVX) non moveantur; aliud non video confugium, nisi dicas, ex una disyllaba dictione monosyllabas duas, invita verbi & nominis concordantia, effecisse, DIC LVX: sic enim cum præcedentibus sequentia cohærent, ut se lucem dicere præsumat per antiphrasin, qui superna est luce destitutus.

51 Aliud etiam nomen refert Irenæus, atque Beatus, quod græcè scriptum numero gaudet de quo quaeritur *Evanthas*, in hunc modum:

E 5 Primasius Afer, & Beatus, qui ex Ti-
Y 400 chonio multa descripserunt, alia nomina
A 1 Antichristi recensent, scilicet,

N 50 52 *Antemos*, idem apud Primasium
© 9 ac honori contrarius: Beatus vero scribens

A 1 Antemus, vertit *Abstemijs*, à temeto, id
Σ 200 est, vino. Neutrum placet: nec litteris
666 scribendum latinis, sed elementis Græ-

corum, quibus numerus sexcenti sexa-
A 1 ginta sex perfecte coalescit, ut sequens
N 50 ostendit probatio:

T 300 53 Aliud refert nomen Primasius à

E 5 Beato prætermissum, proptereaque & à
M 40 nobis, qui de solis hîc expressis cura-

O 70 mus. Horum alterum est *Gensericus*,
Σ 200 nomen Gothicum, de quo & Ruper-

666 tus, qui idem ac *Gentium seductor* in-
terpretatur. Ejus litteræ numerum 666
efficiunt, si græcè exarentur ΓΕΝΣΗΠΙΚΟΣ.

54 Eundem etiam numerum complent characteres vo-
cis *Damnatus* à Beato inter cetera Antichristi nomina ad-
hibitæ, si græcè efformes ΔΑΜΝΑΤΟΣ (non *Damnatus*).

At

At vocis Gothicæ, atque Latinæ vim, apud Græcorum elementa quærere, multum displicet. Significatio quoque nomini Antichristi repugnat: quis enim credat eum vocari velle *Damnatum*, & *Gentium Seductorem*? Profectò, si Evangelista testante, nullus emere aut vendere poterit, nisi qui characterem, aut nomen, aut numerum nominis bestię habeat; ægre nimis suadeamus talem eum characterem, nomen, aut numerum ementibus, aut vendentibus tradere, quo damnatus, seductor, aut honori contrarius significetur. Idem de aliis nominibus honori contrariis esto iudicium, ut inep-
tis ei qui supra omne quod dicitur Deus, aut colitur, vult se extollere. Tale est illud à Beato allatum *Antichristus*, cum non contrarietatem, sed similitudinem affectet. Ergo prædicta, non quasi ab Antichristo usurpata, sed ut à Gentibus imposita, debent accipi: sed ad bestię characterem, ementibus, aut vendentibus dandum, nihil faciunt.

55 Tale est etiam *Diclux* à Beato relatus: hoc quippe solum coalescit ex numero nominis latinis litteris factus, DCLXVI. quæ ut proferri tamquam dictio possint, ita elementa transmovenda DICLVX: sed nihil, quod sciamus, significat: ac propterea nec ad propositum facit, quoniam Evangelistæ verba ad Græcos scribentis & græcè, per Latinorum characteres non enodanda. Vide *num.* 50.

56 Tale est etiam ultimum à Beato propositum nomen *Acxyme*, quod si græcis scribatur characteribus AKΣΥΜΕ, numerum 666 conficit. At cum nullius sit significationis, nil ad rem. Vide in textu quæ ad calcem de voce *Acxyme* notamus pag. 439. Ergo non satis ad propositum vox quælibet numerum ab Evangelista expressum designans, sed quæ digna sit ut pro-

bestiæ caractere ad emendum & vendendum adsumatur. Cum autem numerus 666 tam in vocibus honoris, quam turpitudinis reperiat, frustra ad ejus investigationem quænam signate Antichristo conveniet, sive à se ipso adscita, sive ab assecclis imposita, per numeros laborabis. *Certius ergo & sine periculo est* (inquit S. Irenæus) *sustinere adimpletionem prophetiæ, quam suspicari & divinare nomina quælibet &c.*

57 Præmonere etiam oportet, Beatum postquam primo nomen *Acxyme*, & numerum 666 expresit, statim addere: *Quæ notæ solutæ numerus est: redactæ autem in monogramma, & notam faciunt, & nomen, & numerum, hoc signo P.* Sed nullum in præcedentibus litteræ P. vestigium. In Tichonii quidem opere, ut apud Primasium extat, monogramma Christi nominis, hic transcriptum, apparet: recte autem ibi, nam de numero *mille ducentorum viginti quinque* dierum agitur, qui numerus in ΧΡΙΣΤΕΙ litteris continetur: at in Auctore nostro non ita, ubi nihil de voce Christi præmissum. Ergo nonnulla hic prætermissa ab excriptoribus, qui illud intrudunt monogramma, ubi de Antichristi nominibus sermo est, absque prævia nominis Christi mentione.

58 Similis in opere ex Tichonio (Appendice Tomi 3. S. Augustini Homil XI.) prætermissio: ibi enim legimus: *Sexcenti & sedecim græcis litteris sic fiant χγ!* *Quæ notæ solutæ, numerus est: redactæ autem in monogramma, & notam faciunt, & numerum, & nomen. Hoc signum Christi intelligitur.* Multa hic considerari fatearis oportet: nec enim numerus *sexcenti & sedecim* tantum est: nec nomen, nec signum Christi his litteris χγ! *Cbig.* ostenditur. Ergo mutili sunt

non

Codices Anonymi, & Beati, qui ex eodem verba sumentes interprete (Tichonio scilicet) non ita perfecte ut in Primasio, verba illius excriserunt.

59 Mitto quæ in Burgensi Codice post hæc Antichristi nomina sunt Tabulæ: altera cum numeris ex adverso singulis litteris per loculos quadratos adfixis: altera per columnas octonas, juxta octo quæ tribuit Antichristo nomina: mitto inquam, nullo quippe fundamento, sed arbitrio proprio, adeoque inconsultè factæ, ut ipsissima semel littera pro *centum*, iterum pro *ducentis*, atque iterum pro *trecentis* vertatur.

De versione Sacræ Scripturæ cui Auctor inheret.

60 Commovebit fors nonnullos paulum in re antiqua versatos, aliis hinc verbis divini eloquii testimonia, quam in lectione Vulgata recenseri. Sed Hispanus Scriptor ea utebatur versione, quæ in Hispania obtinebat. Hanc hodie *Gothicam* dicimus, non quod gothico scripta sermone, aut caractere (qualis Evangeliorum Codex Dordrechtii editus anno 1665. à *Francisco Junio*, aut nuper Oxonii per *Edwardum Lye* cum latina *Erici Benzellii*, Archiep. Upsalensis, interpretatione) sed quia illis exarata elementis quæ apud Hispanos sub Gothorum Monarchia erant: omne enim quod illis scriptum litteris perseverat, Gothicum audit: nam cum Hispaniarum fines latius eâ fuerint ætate dilatati, & sanctissimis Ecclesia Patribus illustrata; insignis veluti epoca tempus illud rebus nostris fuit, ac propterea quidquid characteribus ab eis usitatis (parum à latinis diversi) nostram tulit ætatem, Gothicum dicimus, ut Codices Gothici, Biblia Gothica &c.

61 Hæc nondum vulgata, nec exteris nota, uti non-

nonnullæ id genus novissimè editæ lucubrationes probant, ubi altum de nostra Gothica, sive veteri Hispana interpretatione silentium. Diversa à Vulgata est, & admodum ei affinis quam *Petrus Sabatier*, illustris S. Mauri soboles, nuper edidit sub nomine *Versionis Italæ*, seu *antiquæ*: eoque præstat emolumento, ut quæ ibi lacunæ multæ sunt, expleri nostra possint: idque præsentī firmatur commentario, dum præter integrum Apocalypsis textum alia, præsertim ex Prophetis, adducuntur testimonia, quæ in ea veteris versionis editione desiderantur, v. g. lib. 5. c. 9. v. 13. pag. 379. Isaïæ verba cap. 34. v. 6. Beatus allegat, quæ ibi penitus vacant. Ita etiam pag. 441. verba affert Danielis quæ in veteri desiderantur versione ad caput XI. versu 37. Insuper accedit utilitas ex interpretationis varietate: ubi enim Hieronymus habet: *Erit in concupiscentiis feminarum*; Beatus ab opposito ex veteri apud Hispanos versione propius ad Septuaginta accedit, qui ut Hieronymus testatur: *Concupiscentiis feminarum non subjacebit*, transtulerunt. Consonat Beatus: *Desideria mulierum non cognoscet*. Ergo præsentī nostræ Versione nedum multas quas in Antiqua Italia offendes lacunas explere poteris, verum novum veteribus interpretationibus robur adjicere. Vide pag. 441. in Nota ad calcem. Non ergo paveant tyrones: sed Augustinum adeant, 2. de *Doctrina Christiana* libro, ubi Varias Scripturæ Sacræ interpretationes commendat. De Veteri nostræ Hispana forsā alibi.

De exemplaribus Mss. quæ ad nostram pervenerunt notitiam.

62 Adeo celebris in Hispania fuit hæc in Apocalypsin explanatio, ut expeteretur à cunctis, & cer-

tatim rei Sacræ studiosi quotquot possent exciperent: nam præter multa quæ non temere iniqua temporis conditione, vel Bibliothecariorum incuria, amissa dare possumus exemplaria, extant non pauca, de quibus mentionem facere non incongruum.

63 Ambrosius de Morales in Chronicis lib. 13. c. 27. quatuor se vidisse Codices testatur, scilicet de quo supra Vallecavâ Legionem adsportato, scriptum Era 1008. seu anno 970. & alterum Regiæ domus Sancti Isidori Legionensis Era 1085. anno 1047. exaratum. Hic penes Excel. Dominum Marchionem de Mondejar erat, dum Nicolaus Antonius suam Bibliothecam Hispanam veterem scribebat. Hodie in Regia extat Matritensi Bibliotheca manu ipsius Ambrosii de Morales signatus. Alter Valcavadensis postquam Legionem adductus, nescio an ultra Ecclesiæ fuerit suæ restitutus: Romanus quippe de la Higuera apud privatum quemdam se eum vidisse testatur, uti refert Nicolaus Antonius in Bibliotheca Veteri lib. 6. c. 2. n. 41. Ludovicus de Alcazar vidit Vallisoleti in Collegio Societatis apud Patrem Padilla. Arg aiz in eodem Collegio extare, & se vidisse confirmat.

64 Tres alios se vidisse in Escorialensi Bibliotheca ait Alcazar, quos perperam (ut num. 45. ostendimus) sub Apringii recenset nomine.

65 Morales duos præterea enumerat à se etiam vi-
sos, in Sanctæ scilicet Ovetensis Ecclesiæ Bibliotheca,
& in Monasterio Divæ Mariæ de Guadalupe. Præter
hæc septem exemplaria duo alia servantur in Regio
Æmilianensi Monasterio, gothicis scripta characteri-
bus in membranis: alterum, quod antiquius creditur,
principio caret & fine: sed in eo singulare est, & ani-
madversione dignum tempus quod ad illa verba cen-
tum

tum quadraginta quatuor millia signati (hic fol. 322.) originali hujus operis Auctori tribuit, scilicet Era 814. *Ab adventu (inquit) Domini nostri Jesu Christi usque in præsentem Eram, id est, DCCCXIII. (814) sunt anni DCCLXXVI. & à primo homine usque ad Christum fuerunt anni V. millia CLXXXVIII.*

(5199) *Computa ergo à primo homine Adam usque in præsentem Eram DCCCXIII. & invenies annos sub uno V. millia DCCLXXVI. id, inquam, singulare: ceteri namque Codices Eram DCCCXXII. (non 814.) & annum DCCLXXXIII (non 776.) stabiliunt.*

66 Utra autem præstet lectio: si ex Codicum numero pendendum, plures sententiam pronuntiabunt: si ex eorum qualitate; standum etiam pro pluribus: constant quippe ibi supputationes: non in eo uno, de quo sermo: nam si annis 5199. ab Adam ad Christum, addas 776. quos à Christo ad operis auctorem statuit, *invenies* (ut ejus verbis utar) sub uno 5975. neutiquam 5876. quorum ibi summa conficitur, scilicet centenario decurtata, & excrescenti unitate. Corruptus ergo ibi Codex in numeris: nec talis præstare valet constantibus: qui alia etiam ratione errorem in postrema Codicis illius summa 5876. latere ostendunt, esto centenarium numerum addas, qui ibi desideratur, 5976. pro scripto 5876. Arguunt, inquam, erroris, dum omnes alii Codices dato numero inquirunt pro sexto millenario complendo (id est, 6000.) deesse annos XIV. vel aliter XVI. Ceterum nec his additis completur millenarium sextum super 5876. nec suppositis 5976. restant quippe XXIV. nullus autem Codex tot postulat. Errorneus ergo Codex in numeris Eræ 814. & anni 776.

67 Id etiam aliunde ostenditur: nam Etherius cui

hoc opus inscribitur, Episcopus jam erat, cum auctorem rogavit ut scriberet. Elipandus novem post annos Etherium tamquam adolescentem carpebat, quasi recens in dignitatem evectus, nec grandis natu: id autem potius favet Codicibus qui præcedentem annum, scilicet 784. huic tribuunt Commentario, quam alteri, qui plusquam novem annorum antiquitatem in Episcopali dignitate concedebant. Igitur standum Codicibus qui Eram 822. annumque 784. assignant, non alteri, qui nec sibi constat, nec aliis consonat argumentis.

68 Sed quoniam de numeris sermo occurrit, oportet de multis qui in eadem leguntur pagina, nonnihil præmittere. Res quidem ingrata nimis & operosa: sed pro conditione Codicum dignoscenda, vel si fieri potest, veritatis stabiliendæ causa, non incongrua. Igitur mundi ætates, variosque Scripturæ Sacræ numeros versans Auctor noster, inquit (hic pag.322.) ab Adam usque ad Christum annos fluxisse 5227. quæ quidem summa ex præcedentibus ibi numeratis rationibus perfecte coalescit: at posterior calculus 5227 errorem per excessum ibi latere ostendit: nam 784 addit & colligit 5987. cum si ad præjactos, 784. addas; non 5987. fiunt, sed 6011. sub forma ad oram expressa: id est, viginti quatuor ultra eos quos Auctor subducebat. Ergo prochronismus latet in illa priori summa (5227). Posterior (scilicet 5987.) magis ad Auctoris mentem accedit: ait quippe immediatè post 5987. superesse de sexto millenario XIII. quæ si corrigas in XIII. & 5987 supponas ad 5987. completes millenarium, pro quo implendo deesse ait in 5987. annos XIII. & ita est. Sed ex Codice Regiæ Matritensis Bibliothecæ apparet error in ea summa 5987. quæ non
in

in VII. sed in VI.) desinit, præstantia tali ut non per numeros, sed per verba exprimat *octogesimum sextum*. Id Codicum contextui conformius: nam ad sextum millenarium deesse immediatè inquirunt XIV. (in aliis scriptum XVI. proclivi excribentium incuria, numeros permutantium XVI. pro XIV.) qui quidem numeri XIV. additi ad summam desinentem in *octogesimum sextum* conficiunt millenarium. Ergo & præponenda lectio 5986. & numerus XIV. in reliquis, ad complendum millenarium. Habes ergo legendum 5986. & 14. (non 16.) supponendos pro complemento.

69 Superest ex hac annorum summa, constanti ex collatione Codicum, & Auctoris menti conformi, perquirere quænam in præcedenti annorum calculo ab Adam ad Christum summa sit præponenda: quod ita fit. Ab anno 5986. subduces 784. qui præstant in eo quo se scribere Auctor fatetur: supersunt 5202. Hæc ergo summa in annis ab Adam ad Christum ex dictis erat danda, nam hæc conformis cum allato Matritensi Codice: si enim ad 5202. annum 784. Auctoris addas, summam conficis ibi expressam 5986. Ergo hæc 5202. non 5227. quæ in nostris legitur Codicibus (ab Adam ad Christum) erat statuenda juxta prænotata. At neutra antiquorum menti conformis. Postrema 5227. magis aberrat: nam veteres ab Adam ad Christum 5199. statuerunt, uti in Martyrologio Romano, in Codice hoc ipso Æmilianensi, & Anonymo, tomo 6. Hispaniæ Sacræ à nobis edito, cernere licet, non 5202. Trium annorum discrepantia est inter 5199. & 5202. Ubinam error sit, nondum perspectum habeo.

70 Nunc si scripta in primo Æmilianensi Codice

revoce in memoriam, absdubio errorem in anno 776. esse comperies: ceteri namque Codices decennarium prætermisum ostendunt: maximè alter ejusdem Æmilianensis Bibliothecæ Codex Gothicus (de quo statim) qui Eram 822. & annum 784. apertissime offert.

71 Habes ergo novem enumerata hujus operis exemplaria. Restant & alia, in Divi Bartholomæi Collegio Majori Salmanticensi, & de quibus Sectione proxima. Ecquis autem numerare vel cognoscere poterit, quæ dispersa in aliis lateant Bibliothecis?

De Codicibus Mss. pro præsentì editione.

72 Primus à me comparatus Codex est quem nomine *Burgensis* notamus, quod ex Burgensi adductus civitate, ubi à sæculo XIII. servabatur in Regali Cisterciensis Ordinis Domo Illustrium Dominarum *vulgo de las Huelgas*, ac liberalissime ab Illustrissima Domina D. Maria Benedicta de Oñate & Samaniego in prima sua Præfectura mihi suppeditatus, atque ab Illustrissima Domina D. Rosa de Chaves confirmatus. Hic omnium locupletior, & fusior, ditiorque ob multas auro, minio, variisque pigmentis, quibus abundat, picturas, affabre, prout illa ferebat ætas, descriptas. Est membranaceus in magnæ Cartæ forma. Et licet annum quo fuit scriptus non prodat, ejus tamen characteres sæculo respondent decimotertio.

73 Codicis ex quo transcriptus ætas constat: nam extrema libri verba è veteri exemplari in nostro excerpta declarant, inceptum fuisse Codicem in Tabarensi Monasterio à Presbytero Magio, qui obiit Era M.VI. (anno 968.), & absolutum à quodam ejus discipulo, Emeterius nomine, sexto Kal. Augustas Era M.VIII. (anno

(anno 970.) Cumque tunc litteræ tantum Gothicæ in usu essent, nondum transcriptus est diversis characteribus Burgensis Codex; :ex quo fateri oportet, notationem prædictam ex eo fuisse desumptam Codice ex quo factum exemplar. Hinc annus ibi expressus, 970. non exemplari nostro, sed Codici Tabarensi tribuendus.

74 Verba illius crassa Minerva sunt : *O virum verè beatum, quem ebustari claustra sarcofogatum, & ille erat desideratum voluminiuiu ad portum item consutum. Arcipictore honestum Magii PRSBTU & conversi emittit labore inquoatum, è quo perhenne perrexit ad Christum diem Sancti Fausti III. idus Kldas. Novembris diem habuit tertium, & discessit ab evo Era M.VI.*

75 Ego vero Emeterius Presbyter & ad magister meus Magi Presbyteri nutritus, dum domino suorum librorum construere eum voluerunt, vocaverunt me in Tabarense asceteri: sub umbraculo Sancti Salvatoris, & de quos inveni inquoatum de Kldas. Magias usque VI. Kldas. Augustas inveni portum ad librum cum omni suo magisterio Magistrum meum sic eum mereat coronari cum Christo Amen. O turre Tabarense alta & lapidea, insuper prima teca, ubi Emeterius tribusque mensis cucurvior sedit, & cum omni membra calamum conquassatus fuit. Explicit librum VI. Kldas. Augustas Era millesima VIII. hora VIII.

76 Forsan priora verba, *O virum verè beatum*, eo spectant, ut sicut nos, auctor ille daret scriptum hoc fuisse opus à Beato: nam sic dumtaxat latentis cuiusdam energiæ vi gaudent verba, *O virum verè Beatum.*

77 Alter Codex favore ejusdem supradictæ Illus-

trissimæ Dominæ D. Rosæ de Chaves comparatus fuit ex alio Monasterio, filiationis, ut dicunt, ejusdem Regiæ domus de las Huelgas, in oppido *Sancti Andreæ de Arroyo*. Hic etiam membranaceus: verum magna foliorum parte mutilus: utilia tamen quæ extant, ob variantes lectiones, & quoniam proprietatis dictionum ut plurimum tenacior excriptor ejus. Ætas sæculo Ecclesiæ decimotertio non inferior.

78 Tertius demum Codex ex Regali S. Æmiliani Monasterio Ordinis S. Benedicti, beneficentia magna, parique humanitate à Rmo. Patre Magistro Abbate Fr. Placido Bayo, & ceteris venerabilibus Patribus, commodatus, quem notissimo ejusdem Monasterii nomine *Æmilianensem* dicimus, dum ipsum oportet appellare. Membranaceus quoque, & Gothicus, decimo scriptus sæculo, vel circa. Figuris etiam coloratis frequenter ornatus. Sed nonnulla etiam folia ante ligationem evulsa: nam hodie recenti manu singulis additus foliis numerus continuus: & tamen nonnulla desiderantur absque ullo evulsionis vestigio. Eorum ligatura, totiusque operis compactio, venerabilem præsefert antiquitatem: nam tabulæ quæ utrimque membranas tutantur, ita corrosæ à tineis parvulisque foraminibus perforatæ, ut non nisi diuturno sæculorum curriculo tantum possent vermes lignum exedere. Plura vacant spatia pro picturis: nec idem qui incepit opus absolvit: recentior quippe finis, quam principium: sed tamen antiqua manus usque ad fol. 228. hinc varietas in calamo, & atramento.

79 Est verò animadversione dignum, in folio 58. (hic l. 2. c. 2. v. 8. pag. 151.) notatum in hoc Codice esse: *Tempore Benedicti Abbatis VIII. Sancti Æmiliani fideliter scriptum per Albinum Monachum ejusdem*

dem in Era DCCVIII. Magnæ id concertationis causa fuit inter nonnullos qui illud observarunt, num Auctoris, an Codicis ætatem significet? Nec deest qui crediderit præfatum Albinum Auctorem fuisse operis de quo agimus (1), non excriptorem: idque sub Benedicto Abbate nono Era 708. anno 670. At firmissime tenendum est contrarium: ut enim folio 124. ejusdem Codicis cernimus, opus scriptum ab Auctore Era 822. quando ab adventu Christi transacti anni erant 784. Repugnat igitur Albinum, qui ante centum quatuordecim annos scribebat, Auctorem dicere operis non nisi post centum quatuordecim annos exarati. Ergo suprascripta notula neutiqum de Auctore præsentis Commentarii accipienda, sed de alterius operis scriptore, qui plusquam centum retro annis in vivis erat, tempore Benedicti noni, qui Era 708. (anno scilicet 670.) Monasterio præerat, uti ex quodam veteri Abbatum Catalogo discimus in eadem Regia domo servato. Non ergo error in numeris, sed oscitantia in eo qui rem tanto diversam tempore in Codice præsentis transcripsit. Scilicet, vacabat in fine paginæ intervalum notulæ capax: ibique imprudens eam scripsit secunda manus, antiqua tamen, lineis quaquaversum rubeis circumliniens, quasi à reliquis studio curans disjungere. Nihil ergo nos morari oportet scripturam adeò importunam.

80 Tam Æmilianensis Codex, quam Burgensis, post præsens Beati in Apocalypsin Commentarium, Sancti Hieronymi in Daniele explanationem continent. Æmilianensis interscripsit tractatum *de Affinita-*

(1) Gregor. de Argaiz Tom. 2. super Najarensem Ecclesiam fol. 368. b. alterque illustris Benedictinus in Mss.

tibus & gradibus, Gothicis quidem characteribus, im-
 politis tamen, & ceteris recentioribus, absque titulo
 argumenti & Auctoris, qui & vacat in fronte Com-
 mentarii Danielis. Burgensis verò Codex hæc habet: *In*
nomine Domini nostri Jesu-Christi. Incipit explana-
tio Danielis Prophetæ ab Auctore beati Hieronymi.
 Opus inter alia Sancti Doctoris Opera jam vulgatum.

Quid à nobis in editione sit præstitum.

81 His ergo tribus Codicibus Mss. contentus edi-
 tionem aggressus sum. Prima, eaque operosa, cura fuit,
 apographum cum membranaceo Codice componere:
 deinde cum altero, ac demum cum tertio conferre, &
 quæ temere in uno corrupta, prætermissa, vel defor-
 mata, ad fidem alterius Codicis restituere. Vix, aut
 non nisi experientia magistra, credi potest, quæ &
 quanta fuerit veterum exscriptorum ruditas, qualis in-
 curia, quæve temeritas quidlibet audendi, recta per-
 vertere, perspicua obnubilare, separanda jungere, jun-
 genda dividere, & quæ grammaticè atque latinè dic-
 ta, barbarè permutare. *Finiet* inquit hic Codex: al-
 ter *Finiebit*. Ille *de Regibus*: hic *de Reges*. Ubi
 unus *quas* recte scribit, alter malè *quæ*. De *septem ibi*
sigillis: hic *de septimis* temerè scriptum leges, & sic
 de innumeris. Sed transcriptoribus vitia vertere oportet,
 non Auctori, quem immunem eis fuisse, tum me-
 liores Codices, tum alia non corrupta, demonstrant.

82 Ad orthographiam quæ spectant, mirè ut plu-
 rimum corrupta: *hunus* pro unus: *ortatur* pro hortatur:
hostium pro ostium, &c. *tempto* pro tento: *stagnum*
 pro stannum, &c. De quibus lectorem in textu
 monere non curamus, cum hic prænotare satis. Alia
 etiam

etiam multa ex tribus castigata Codicibus, nunc rectè ex primo, nunc altero, damus absque monitione, hac contenti, nimirum, nihil à nobis editum, quin aliquo sit Codice stabilitum: nec aliud nobis arrogamus, quam resculas nonnullas ad grammatices regulas castigare: si res dubia, ad calcem animadvertimus: vel ad oram, cum scriptos oportet libros corrigere, Auctorem ibi loquentem indicamus. *Idololatriæ* verò vocem, quam latine damus, frequenter *Idolatriæ* scribitur, uti non semel alibi.

83 Quædam adhuc lubrica & implicata restant, quæ nullo Codicum juvamine enodare potui, ni funditus everterentur, ac denuo stabilirentur clausulæ, quod nobis religio fuit: satius arbitantes, doctiorum, aut castigationum Codicum id fortunæ committere, quàm pro correctoris, corruptoris personam induere.

84 Sacræ Scripturæ verba diversis curavimus edere characteribus, quæ lectores solo intuitu moneant, quibus divinam deferant auctoritatem. Id autem nonnihil negotii facessit, ob eam cui Auctor inhæret interpretationem, verbis nonnumquam nostræ dissimilibus. Pro designandis autem ad oram sacræ paginæ locis unde verba descripta (in eorum gratiam qui consulere voluerint) non parvam dedimus operam, nedum ob prolixitatem rei passim refertæ divini elogii testimoniis, quam ob prædictam Scripturæ versionem, nequicquam deservientibus Concordantiarum libris, qui aliis sunt verbis aptati.

— *Veterum, & Recentiorum Testimonia.*

85 Inter præcipua quæ pro Beati commendatione supersunt testimonia, primum obtinere locum jure pos-

possunt convitia , probra , impropria , ei ab Elipando illata : laudi quippe vertendum ab improbo & erranti vituperari. Vide supra num. 21.

Alcuinus lib. 1. contra Felicem Urgel. Episc. col. 789.

86 *Quod verò quemdam Beatum , Abbatem , & discipulum ejus Hitherium Episcopum , dicitis , huic vestrae sectae contraire , laudamus eos , in eo quod veritatem defendere conati sunt. Et statim : Sed si verum est quod dixistis , eos duas naturas Christi in unum confundere , sicut vinum & aquam , hoc nullatenus consentimus. Caute quidem Alcuinus , si verum est : nam falsum omnino erat , eos naturas , divinam & humanam confundere , quas apertissimè distinguunt in primo adversus Elipandum libro , dicentes : Manens unus ex utraque & in utraque natura : nec naturarum copulatione confusus , nec naturarum distinctione geminatus. Altera est in eo natura divinitatis , altera verò natura servilis (pag. 351. & 378. edit. Colon.) Denique diversitas diversarum naturarum in locutione Evangeliorum ostenditur. pag. 365. & ita ibi passim : ut constet quam solemne est errantibus , veritatis Doctores mendacissime carpere.*

Pauli Alvari Cordubensis , Divi Eulogii condiscipuli : Epist. 1. & 4. in Tomo XI. Hispaniæ Sacrae , pag. 84. 85. 120. 127.

87 *Item ex libro Beati contra Elipandum = Item superius nuncupatus Libanensis Beatus = Sed ut Beatus Libanensis Presbyter dixit = Concilii Ephesini percurrere sententias , & Hieronymi præclari , se u Fulgen-*

gentii, vel aliorum; maximeque pene temporis nostri Beati Libanensis Presbyteri, &c. Post laudatorum Patrum sententias præcipuum tenere locum pronuntiat ex Beato Libanensi depromptas. Vide num. 23.

Ambrosius de Morales Historiographus Regius.

88 Clarissimus hic rerum Hispanicarum Scriptor præcipuus est qui nomen, cultumque Beati apud Valcavado pervulgavit. Vide ejus allata verba num. 32. & 17.

Athanasius de Lobera, Cisterciensis, in opere Grandezas de Leon, edito anno 1592. fol. 321. sermone vernaculo.

89 Sanctus Presbyter Beatus, hujus Diœcesis Legionensis, ex oppido *Valcavado*, ubi brachium tamquam Divi reliquiam venerantur, vixit sub Mauregato, scripsitque adversus errores Elipandi, Toletani Archiepiscopi (non se errare arbitrantis). Aliud etiam edidit Beatus librum in Apocalypsin, quem Etherio, Oxomensi Episcopo, arcta ei familiaritate conjuncto, dedicavit. De hujus Sanctitate (deque aliorum ab eo memoratis) inquit, non agimus, quoniam de rebus tantum ad Ecclesiam & Urbem Legionensem spectantibus sermonem instituimus, non de Vitis Sanctorum.

Joan. Mabillon in Actis Sanctorum, Tomo V. part. I. Sæculo IV. Ordinis Sancti Benedicti, fol. 733. & seq.

90 Sanctum Beatum colunt Hispani, præcipue Asturienses; eumque vulgo S. Bienco appellant.... Insignis

nis fuit Beati eruditio & doctrina pro funesta illa Maurorum tempestate, uti demonstrant libri duo adversus Elipandum editi tum ab ipso, tum ab Ætherio ejus discipulo, tametsi eo in opere Beati fuere præcipue partes. Sane utrumque insectatus est Elipandus; sed maxime Beatum... Gabriel Vazquez fatetur se non posse non admirari Beatum & Etherium, quòd tam calamitoso tempore quo dira Maurorum tyrannide Hispania opprimebatur, controversiam adeò obscuram sui ingenii acumine & eruditione illustraverint.

91 Præter hos libros contra Elipandum duos, qui extant in Tomo 8. Bibliothecæ Patrum, scripsit etiam Beatus commentarium in Apocalypsin hæctenus ineditum. Utinam illum quis è tenebris tandem eruat! quem Morales ait se vidisse in Ecclesia Vallecavensi, Hispanis *Valcabado*, haud procul à Saldanna oppido Diocesis Legionensis: qui locus, ut dixi, Beati memoria & cultu celebratur.

Nicolaus Antonius, Bibliotheca Hispana Veteri, Tomo 1. lib. VI. cap. 2. num. 35.

92 Nulli autem fuit inferius Beati Hispani de nostris Ecclesiis meritum, cujus & Etherii liber extat *adversus Elipandum*. Opposuit sese novo Elipandi dogmati Libanensis in Asturiis Beatus, doctus vir, ac testimonio Alcuini tam vita quam nomine Sanctus... (*Non indicat Nicolaus, ubinam id asserat Alcuinus.*)

93 In eo tractu oppidum est, *Vallemcavatam* vocant, juxta *Saldaña*, in cujus Ecclesia corpus quoddam Sancti viri, quem *Sancto-Vieco* populares corrupte, ut videtur, pro *Sancto Beato* appellare amant,

religiose asservatur, seorsumque alterum ex ejus brachiis colendum palam ostendi plures affirmant. Monachum suum Benedictini, Yepes, Uvion, & Menardus, immo hypobolimæus Haubertus in Chronico ad annum DCCXCII. Mabillonius autem aliquando, & alii omnes, non ejus instituti, Presbyterum tantum fuisse ajunt. Sed retractavit judicium suum Mabillonius, cum ad Beati accessit res gestas, priore parte sæculi quarti, Monachum & Abbatem ex Alcuini atque ejusdemmet Beati libris, ostendens.

Ex legendario quodam Asturicensis Ecclesiæ Beati hujus actus, seu vitam, ad Februarii diem XIX, quo vir sanctus colitur, Joannes Tamajus produxit. Sed qui parvam aut nullam fidem huic habent martyrologo, non faciunt ei ullam injuriam. Quibus aliter visum fuerit, Beati obitum anno DCCXCVIII. inde docti assignabunt. *Num.* 38.

194 Præter dictum Beati opus adversus Elipandum... extant adhuc inedita in *Apocalypsin Commentaria*, sive catenam ut vulgari similis formæ scribendi verbo utar, ex Ss. Patribus, quorum aliqui jam non extantes ibi laudantur, atque idcirco magnum operæ pretium esset ea in publicum post tam longum silentium exire, quod idem Mabillonius desiderabat. *N.* 40.

At hoc esse Beati opus, quamquam desit omnibus in exemplaribus auctoris nomen, ambiguum haud est apud nostros. Argumenta sunt, primum Heterio nuncupatum fuisse, quocum Elipando Beatus obstitit, verbis his quæ indicant vitæ consuetudinem & amicitiam: *Hæc ego, Sancte Pater Heteri, te petente, ob ædificationem studii fratrum tibi dicavi; ut quem consortem perfruo ordinis, coheredem etiam faciam mei laboris.* Secundum, servari Codicem in Ecclesia Vallisca-



IN APOCALYPSIN
B. JOANNIS APOSTOLI
COMMENTARIA.

(Operis nuncupatio ad Etherium.)

EA quæ diversis temporibus in Veteris Testam-
menti libris prænunciata sunt de Nativitate Do-
mini & Salvatoris nostri secundum deitatem, vel de
corporatione ejus, de passione quoque & morte, sive
de resurrectione, de regno, atque judicio, pro viri-
bus scientiæ, ex innumerabilibus libris, & Sanctorum
Patrum nobilissimorum, sententia brevitate notata,
pauca proferenda putavi. Quæ quamvis omnibus no-
ta sint qui per amplitudinem Scripturarum percurrunt;
facilius tamen ad memoriam redeunt, dum brevi ser-
mone leguntur. Quæ tamen non à me, sed à Sanc-
tis Patribus explanata reperi, in hoc libello indita sunt,
& firmata his Auctoribus, id est, Hieronymo, Au-
gustino, Ambrosio, Fulgentio, Gregorio, Tichonio,
Irenæo (1), Abringio, & Isidoro; ut quæ in aliis
legens non intellexisti; in hoc, quamvis plebejo ser-
mone, in aliquibus derivatum, tamen plana fide atque
devotione expositum, recognoscas. Omnium tamen li-
A bro-

(1) Victorinum addit Codex Legionensis. Vide in Præfat. num. 42.
ubi & de reliquis hic laudatis Patribus non nihil prænotavimus.

brorum thecæ hunc librum credas esse claviculam. Et si alicubi offendi, delinquenti indulgeat caritas, quæ omnia superat. Hæc sunt parva ex multis quæ probabilium virorum novimus percepisse doctrinis, quorumque eloquia proinde quibusdam in locis à nobis interjecta esse noscuntur, ut sermo noster paternis sententiis firmaretur. Hæc ergo Sancte Pater Etheri te petente ob ædificationem studii fratrum tibi dicavi, ut quo consorte perfruar religionis (1), coheredem faciam & mei laboris. *Explicit.*

PROLOGUS B. HIERONYMI.

Joannes Apostolus & Evangelista à Christo electus atque dilectus, in tanto amore dilectionis superior habitus, ut in cæna super pectus ejus recumberet, & ad crucem stanti soli Matrem propriam commendasset: ut quem nubere volentem (2) ad amplexum virginitatis adsciverat, ipsi ad custodiendam Virginem tradidisset. Hic itaque cum propter verbum Dei & testimonium Jesu Christi exilium in Pathmos insula sortiretur, illic ab eodem Apocalypsis præostensa describitur: ut sicut in principio canonis de libro Genesis incorruptibile principium prænotatur, ita etiam incorruptibilis finis per Virginem in Apocalypsin redderetur, dicentis: *Ego sum Alpha, & Ω*, initium & finis. Hic est Joannes, qui sciens sibi supervenisse diem egressionis de corpore, convocatis in Epheso Discipulis descendit in defossum sepulturæ suæ locum:

(1) *Unus Ambrosius de Morales Ordinis, loco Religionis, scripsit, invitit Mss.*

(2) *Joannem sponsum fuisse nuptiarum Cane Galileæ, Beda, Div. Thom. & alii apud Culmet in Dictionario Biblico citati, tradiderunt.*

oratione completa reddidit spiritum. Tam à dolore mortis factus extraneus, quam à corruptione carnis noscitur alienus. Cujus tamen Scripturæ dispositio vel libri ordinatio, ideo à nobis per singula non exponitur, ut nescientibus inquirendi desiderium collocetur.

ITEM PROLOGUS EJUSDEM. (I)

Diversi marina discrimina transvadantes diversos inveniunt casus. Si turbo ventorum fuerit vehementior, formido est. Si terga jacentis elementi moderatior crispaverit aura, pertremescunt insidias. Ita mihi in hoc videtur quod misisti volumine, quod in Apocalypsin explanationem videtur continere *Victorini*: & est periculosum, & obtrectatorum latratibus patens, de egregii viri opusculis judicare. Nam & anterior *Papias* Hierapolites Episcopus, & *Nepos* (2) in *Ægypti* partibus Episcopus, de mille annorum regno ita ut *Victorinus* senserunt. Et quia me litteris obtestatus es, nolui differre: sed ne spernerem deprecantem, majorum statim libros revolvi, & quod in eorum Commentariis de mille annorum reperii, *Victorini* opusculis sociavi. Ablata inde quæ ipse secundum litteram senserit à principio libri, usque ad crucis signum, quæ ab imperitis erant vitiata *scriptoribus* correximus: & dehinc usque ad finem voluminis addita esse cognosce. Jam tuum est discernere, & quod placeat roborare. Si vita comes nobis fuerit,

A 2 ti

(1) *Id est, Beati Hieronymi, Victorini Commentario præfixus in Biblioth. PP.*

(2) *Adversus quem scripsit Dionys. Alex. de quo Hieronymus in Catal. cap. 69.*

tibi nostrum in hoc volumine potissime sudabit ingenium, Anatholi carissime.

INCIPIIT EXPLANATIO. (I)

JOannes quodam vaticinio ex merito nomen accepit.

Interpretatur enim latino eloquio Domini gratia. Postquam enim Apocalypsin, id est, revelationem Domini, scribere septem jubetur Ecclesiis; aspicit filium hominis sedentem in throno, id est, Christum in Ecclesia, & viginti quatuor seniores, qui sunt duodecim Prophetæ, & duodecim Apostoli. Septem Ecclesiæ, & septem candelabra aurea, & septem stellæ, una Ecclesia est, quæ per septiformem gratiam Chris-

Cap. 4. to copulata sociatur. *Post hæc vidi ostium apertum in cælo.* Ostium apertum Christum dicit natum & passum: cælum verò Ecclesia est. *Post hæc vidi sedem positam in cælo,* id est, Sacerdotes in Ecclesia, per quos quotidie Christus sedet, & judicat. Et super hanc sedem *qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis,* id est, duo judicia, unum per aquam, alterum per ignem. *Post hæc vidi quatuor animalia,* procidentia ante thronum, id est, quatuor Evangelistas; & habebant singuli diversas similitudines: primus *hominis,* id est, rationalis: secundus *leonis,* id est, fortis ad pugnandum: tertius *vituli,* id est, immolatus in sacrificio: quartus *aquilæ* volantis, id est, toto mentis ardore semper debet esse in contemplatione. Hæc quatuor animalia unum sunt, quod est Ecclesia. *Post hæc vidi in dextera sedentis librum signatum sigillis septem,* in quo

(I) Totius scilicet operis generaliter: postea sigillatim.

bellum, fames, mors, clamor interfectorum, finis quoque mundi notatur, & sæculi, & ipsa sigilla enumerando dicamus, id est, equos quatuor: primum *album*, quod est Ecclesia, & sessorem Christum. Secundum *roseum*, id est, populum adversantem Ecclesiae, & sessorem suum diabolum sanguinolentum. Tertium *nigrum*, id est, famem spirituales intra Ecclesiam, & sessorem suum Pseudopphetam. Quartum *pallidum*, & sessorem suum mortem, cui data est potestas interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ, in quo etiam & hæreses in Ecclesia deprehenduntur. Quintum *animas interfectorum propter verbum Dei*. Sextum *Sol niger tamquam cilicium, & luna in sanguine, & stellæ cadentes*, id est, per solem incredulis obscurabitur splendor doctrinæ. Per lunam, quæ tota facta est sanguinea, hoc est, Ecclesia Sanctorum, in fine ostenditur pro Christo sanguinem fundere. Stellarum casus, fideles perturbari, in sexto sigillo concludit, in quo novissimo certamine Antichristi *quasi ficus vento agitata amittit grossos*, id est, Sanctos, qui videntur Sancti & excutuntur ab Ecclesia. *Et cælum recessit ut liber involutus*, id est, Sancti, qui eo tempore nullam virtutem ostendunt, nisi ad sanguinem fundendum. *Et omnis mons & insula de locis suis moti sunt, & Reges terræ, & Magistratus, & Tribuni, & fortes, & omnis servus, & liber absconderunt se in speluncas, & in petris montium, & dicunt petris, & montibus: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ eorum, & quis poterit stare: hoc totum tempore Antichristi factum erit. Nam Reges terræ, & Tribuni, & fortes quos dicit, Sancti intelli-*

Cap. 6.

guntur, qui eo tempore Antichristum convincunt. Abscondere se petunt in speluncis, & in petris montium, id est, auxilium Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum impetrabunt.

Cap. 7. *Post hæc vidit quatuor Angelos stantes in quatuor angulis terræ, tenentes quatuor ventos, qui sunt quatuor partes mundi. Nam Angeli & venti unum sunt. Sed hi partiti sunt, id est, boni & mali; id est, Ecclesia, & Regna mundi: quia mundus Ecclesiam odit, & in Ecclesia falsi fratres reperiuntur. Et dictum est ipsis ventis ne flarent in terram, neque in mare, neque in ullam arborem. Hoc totum in homines dicit, ne fleant, id est, ne spiritum suum tradant, & sui similes efficiantur, ne sinister populus dextrum lædat. Post hæc vidit duodena millia Servorum Dei, id est, Ecclesiam in duodenario numero constitutam, qui signantur in frontibus, id est, in cognitione operis. Septimum sigillum in hoc signo*

Cap. 8. *complet librum septem sigillis signatum. Factum est silentium in cælo quasi semihora, id est, servi Dei, qui ab omni sæculari actione vacant, & in contemplatione hic incipiunt vitam æternam degustare. Post hæc vidit septem Angelos, qui acceperunt septem tubas, id est, septem Ecclesiæ accipientes perfectam prædicationem, sicut Propheta ait: Ut tuba exalta vocem tuam. Primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando & ignis mixtus in sanguine, id est, facta est ira Dei, quæ habet in se multorum mortem, ut Sancti quasi aurum in fornace probentur. Et secundus Angelus tuba cecinit, & velut mons magnus ignis ardens missus est in mare, id est, diabolus missus est in populos. Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna ardens velut*

fa-

facula, id est, de Ecclesia cecidisse homines dicit qui ab hominibus Sancti & magni videbantur, & per prædicationem suam & vitam alios ad mortem trahunt. Et quartus Angelus tuba cecinit, & *percussa est tertia pars solis*, & *tertia pars lunæ*, & *tertia pars stellarum*, ita ut obscuraretur, & *periiit tertia pars diei*, & *tertia pars noctis*, id est, separant se Sancti ab iniquis. *Post hæc vidit & audivit unam aquilam volantem in medio cæli*, dicentem voce magna: *Væ, væ, væ*, *habitantibus terram de reliquis vocibus tubæ trium Angelorum, qui tuba canituri sunt*. Aquila & cælum Ecclesia est. Quod dicitur discurrentem, id est, plagas novissimi temporis magna voce prædicat.

Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cælo cecidisse in terra, & *data est ei clavis putei abyssi*, & *aperuit puteum abyssi*, id est, populus recessit ab Ecclesia cum suo Pseudopropheta. Puteum aperuit, quia cor suum per verba manifestavit. Abyssus dicitur, quia occultus latebat. *Et ascendit fumus de puteo quasi fumus magnæ fornacis*, & *obscuratus est sol*, & *aër de fumo putei*. Sol Ecclesia, & fumus verba sunt malorum hominum. Sicut fumus ignem præit, ita obscurant Ecclesiam ipsi, & verbis eam convincunt, & quibusdam faciunt cæcitatem. *Et ex fumo putei exierunt locustæ*, id est, multitudo dæmonum, qui in corda ipsorum quasi in puteo ligati tenebantur, & cum ipsis hominibus quos possident, contra Ecclesiam insurgent. *Et data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpii terræ*. Scorpio enim ore palpat, & cauda percutit, ita isti faciunt. *Et similitudo locustarum similes equorum paratorum ad bellum*. *Super capita*

Cap. 9.

eorum coronas similes auro, id est, sub nomine christianitatis, ut equi soluti currentes ad malum. *Et facies eorum sicut facies hominum*, id est, quasi rationales noscuntur. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum*, id est, fluxi, & effeminati. *Habebant dentes sicut leonum*, id est, ad devorandum fortes. *Et habebant caudas similes scorpiis, & aculeos in caudis earum*, ut ostenderet in tali equo populum adversarium Ecclesiæ, & in uno corpore multa membra signaret. In capite, Principes terræ: in cauda, falsos Sacerdotes, qui regali amicitia fulti Ecclesiam premunt, & populo securitatem promittunt. *Et habent super se Regem, Angelum abyssi*, id est, diabolium, vel Regem sæculi; abyssus enim populus est. *Nomen habet hebraice Abaddon, græce Apollyon, latine Perdens, vel exterminans. Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo, væ postea.* Ecce signavimus puteos, homines esse ignorantes; & locustas, dæmonia, sive multitudinem hominum, accipientes potestatem lædendi eos, qui non sunt Agni cruore signati. *Et sextus Angelus tuba cecinit*, hic incipit novissima prædicatio. *Et audiivi unum ex quatuor cornibus Angelum aræ aureæ, quæ est in conspectu Dei, dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos ligatos in flumine magno Eufrate.* Unum ex quatuor cornibus populum de circumcissione dicit, qui in toto mundo solus Deum cognoscebat. Ara aurea Ecclesia est, quæ ex circumcissione venit. Solve quatuor Angelos, quod dicitur, id est, ab Oriente & Occidente, à Septentrione & Meridiano, per quatuor partes mundi, universalis fiat Ecclesia, & cognoscat nomen Domini. Hic Angelus cui tuba solvi præcipitur, totius Ecclesiæ prædi-

dicatio intelligitur. Eufrates autem flumen est Babylonis. Babylon omnis mundus intelligitur. *Et post hæc vidi equos in visione, & sedentes super eos habebant loricas igneas hyacinthinas, & sulphureas, & capita sicut leonum.* Non tales quales supradiximus, sed iis *similes*. Dum iis *similes* dixit, unam rem dissimiliter scribit. *De ore eorum exit ignis, & fumus, & sulphur.* In fumo hyacinthum dixit, id est, verba ipsorum hominum. *Ab his tribus plagis, igne, fumo, & sulphure, quod exit ex ore eorum, occisa est tertia pars hominum. Potestas equorum in ore & in caudis eorum,* id est, Principes mundi, & Sacerdotes, & in his nocent, quia sine ipsis nocere non possunt. *Et vidi alterum Angelum fortem descendantem de cælo nube amictum, & iris super caput ejus,* id est, Dominus indutus Ecclesia. Iris super caput ejus, perseverantia Ecclesiæ. Nubes, prædicatores, qui miraculis pluunt. *Et facies ejus sicut sol, & pedes ejus sicut columnæ ignis.* In facie, cognitio Christi: in pedibus, passio novissimæ persecutionis. *Et habebat in manu sua librum apertum,* id est, per legem, & Evangelium cognoscere Christum. *Et posuit pedem suum dextrum super mare, & sinistrum super terram.* Dextrum in mari, id est, fortia membra in majoribus periculis. Sinistrum super terram, id est, minora membra in competentibus. *Et clamavit voce magna sicut leo fremit,* id est, præcepit fortiter prædicare. *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas: & cum locuta sunt septem tonitrua, eram scripturus. Et audivi vocem de cælo dicentem: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, ne ea scripseris.* Hæc in prima parte libri dixit. In ultima verò præcipitur

ne signaveris, id est, quod in primordio Ecclesia plenissime non cognovit, finis quotidie ostendit. *Et Angelus quem vidi stantem super mare & super terram, sustulit manum suam in cælo, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus jam non erit: sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, jam non esse tempus nisi purgationis, id est, resurrectionem futuram pacis, in qua firmata erit Ecclesia, sicut Apostolus ait: Novissima tuba: & in ea consummatum erit mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos. Et vocem audivi de cælo loquentem mecum, & dicentem: Vade, accipe librum, qui est in manu Angeli, & comede illum, & erit tibi in ore dulcis sicut mel, & in ventre amarus sicut fel.* Hic liber Lex est, & Evangelium. Sed cum eum cœperis legere, dulcis est in ore, sed amaritudinem senties cum prædicare & operari cœperis quod intellexeris. *Et cum factum esset in ore meo dulcis, & in ventre amarus, dicit mihi: Oportet te iterum prædicare.* Cum hoc dicit, apertè intelligitur, quia in primordio Ecclesia prophetiam apertam habuit, cum tanta martyria collegit: & postquam fides omnem mundum perlustravit, prophetia os clausit. *Et quod dicit, oportet te iterum prædicare, ostenditur in fine sæculi, quando est adventus Antichristi, prophetia os aperire. In ore dulcescere, & in ventre amaricare; cum cœperit prædicare, & operari.*

1. Cor. 15
2. 52.

Cap. 11.

Et data est mihi arundo similis virgæ, & dixit mihi Angelus: Surge & metire templum Dei, & altare, & eos qui adorant in illo. Non ille sedebundus audiebat, ut diceretur ei *surge*; sed hoc peccatori dictum est, surge ad pœnitentiam. Templum me-

metiri est Patrem confiteri omnipotentem, & Jesum Christum filium ejus, qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: & hunc per Prophetas prædicatum, hunc esse manum Dei, & verbum Patris, & conditorem orbis. Hæc est arundo & mensura fidei. Sed nemo adorat aram sanctam, nisi qui hanc fidem recte crediderint. Ipsi soli adorant, non omnes qui videntur adorare. Et dicit mihi: *Atrium quod est foras templum, exclude foras.* Templum servos Dei dicit: Atrium verò christianos malos dicit: quia atrium ad templum pertinere videtur, sed templum non est. Et christiani mali ad sanctos pertinere videntur, sed sancti non sunt. Proinde excludentur foras, quia tempore Antichristi civitatem sanctam, id est, Ecclesiam ipsi calcabunt. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt, dies mille ducentos nonaginta, amicti ciliciis.* Hi duo testes, Lex est & Evangelium. Amicti ciliciis, quia pœnitentiam prædicant. Verum in fine de Elia, & qui cum eo venturus est, dicit: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt dies mille ducentos nonaginta, quod sunt anni tres & menses sex, quod erit illorum prædicatio, & regnum Antichristi aliud tantum. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra.* Hæc secundum litteram de Elia diximus, & qui cum eo venerit: sed nunc spiritualiter de duobus Testamentis, quod est Lex & Evangelium dicamus. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra. Istud candelabrum quod per Moysen septem ramorum scribitur, Ecclesia est septiformis spiritus plena: & duas olivas, id est, Lex & Evangelium. Infundere oleum candelabro, id est, Ecclesiæ. Hæc est Ecclesia cum oleo suo indeficiente, quod eam facit in lumen orbis ardere. *Et si quis eos vult lædere, ignis exit de ore*

Zachar.
4. v. 2. 3.

Luc. 12.
v. 49.

ore eorum, & devorat inimicos eorum, id est, si quis Legem & Evangelium audire noluerit, divino igne cremabitur. Hic est ignis, id est, verbum prædicationis, quem *Jesus venit mittere in terram* corporis nostri, & in omnibus ardere desiderat. *Hi duo habent potestatem claudere cælum, ne imbrem pluat,* id est, ligandi & solvendi, & *habent potestatem aquas vertere in sanguinem.* Aqua Scriptura est. Tunc cælum clauditur, quando verba prædicationis in corde durissimo non tenentur. Et per prava opera hoc ipsum inutile fit in eis quod christianum videtur. *Et vincet eos, & occidet eos.* Hoc Antichristus cum suis ministris spiritualiter in Ecclesia facit. *Vincet eos,* qui opera mala faciunt. *Occidet eos,* qui Christum prædicant, & à malis recedunt: quia qui Legem & Evangelium non observat, tamquam Antichristus Eliam, & Enoch occidet. *Et corpus eorum projicietur in platea civitatis.* Duorum dixit unum corpus, quia Lex & Evangelium unum sunt, & Ecclesiæ unum corpus ostendunt. Quod autem dixit *projicietur in platea civitatis,* *platos* græcè, *latitudo* dicitur latinè, quia latam viam & spatiosam sectando, corpora Testamentorum, id est, Legis & Evangelii, projiciunt à se in medio civitatis, quod est Ecclesia, sicut scriptum est: *Odisti disciplinam, & projecisti sermones meos post te.*

Psal. 49.
v. 17.

Et videbunt ex populis, & tribubus, & linguis, & gentibus, corpus eorum tribus diebus & dimidium, id est, trecentos quinquaginta, quod sunt anni tres & menses sex. Hoc spiritualiter est intelligendum: à passione Domini usque ad tempus Antichristi anni dicuntur tres, & menses sex. Pro uno anno centum annos, & pro tribus trecentos, & pro quinqua-

quaginta annis sex menses: (1) miscet enim tempus nunc præsens, nunc futurum, sicut Dominus in Evangelio: *Veniet, inquit, hora, ut omnis qui vos occiderit, putet se obsequium præstare Deo.* Numquam enim separat præsens tempus à novissimo, quo revelabitur Antichristus, quia quod tunc visibiliter fit, nunc invisibiliter in Ecclesia geritur. *Et corpora eorum non permittunt poni in monumentis*, id est, votum eorum dixit qui Christum sequuntur, non permittunt eos quiete pœnitentiam agere, sicuti scriptum est: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, cæci, hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum*, id est, Ecclesiam, *nec vos intratis, nec alios permittitis intrare. Et habitantes terram gaudebunt super eos, & epulabuntur, & munera invicem mittent*, id est, quando affliguntur justis, tunc gaudent & exultant injusti. Etiam visus ipse aggravat injustos, sicut de Christo dicebant: *Gravis est nobis ad videndum*, & non solum gravat, sed & tabescere facit, sicut scriptum est: *Peccator videt, & irascetur, dentibus suis stridet, & tabescet.* Gaudebunt ergo cum jam nihil habuerint quod impatienter ferant, disturbatis occisisque justis, & eorum hereditate possessa, quia dicent: *Hi duo Prophetæ cruciaverunt habitantes terram*, acsi dicant: *Hi qui per Legem & Evangelium vivebant, & nos vivere cogebant tunc, gaudeamus cum eos à persecutione dispersos, & exterminatos videmus. Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in illos, & steterunt*

Joan. 16.
v. 2.

Matth.
23. v. 13.

Sap. 2. v.
15.

Ps. III.
v. 10.

su-

(1) Fusius de hoc infra lib. V. ad undecimum Apocalypsis caput, ubi omne indefinitè tempus à passione Domini ad Antichristum per hæc significari inquit.

super pedes suos, & timor magnus cecidit super videntes eos. Et audierunt vocem magnam de cælo: Ascendite huc, & ascenderunt in cælum in nube. Istos tres dies & dimidium jam supra spiritualiter diximus à primo adventu usque ad secundum adventum. Quod autem dixit *steterunt super pedes suos*, hoc ad resurrectionem futuram pertinet: quod autem dixit, *timor magnus cecidit super videntes eos*, communiter dicit. Et mutata vice tristabuntur sine fine, qui gaudebant temporaliter: & gaudebunt sine fine, qui temporaliter tristabantur. Quod autem dixit: *Ascendite huc, & ascenderunt in cælum in nube*, hoc est, quod Apostolus dixit: *Rapiemur in nubibus obviam Christo.* Ante adventum autem Domini nulli hoc posse contingere, ut aliquis homo (1) præter Christum in cælum ascendat in corpore: Scriptum est enim: *Initium Christus: deinde qui sunt veri discipuli Christi*, in adventum ejus rapiemur in nubibus, & occurrent obviam ei: unde excluditur omnis suspicio quorundam qui putant hos duos testes duos viros esse, & ante adventum Domini cælum in nubibus ascendere. (2) Si pro Elia, & qui cum eo venturus est diceretur hoc quod supra exposuimus, quomodo poterunt habitantes terram de duorum nece gaudere, si in una civitate morientur? aut quando poterunt munera mittere, si tres dies sunt qui antequam gaudeant de morte, contristabuntur de resur-

rec-

(1) *Pressè hominem pro viris accipias: sanctissimam excipe Christi Matrem.*

(2) *Verba sunt Anonymi inter Augustini Opera (de quo in prænot. num. 43.) spiritualiter de duobus loquens testamentis in Homil. 8. Auctor verò tam supra ad istud cap. 11, quàm infra cap. 13, de Elia & socio ea accipit dicta.*

reſtione ? aut quales epulæ poterunt eſſe , ſi triduo
cadavera humana mixta fœtore fuiſſent ? quod mani-
feſtum eſt , quia hos duos pro Lege & Evangelio di-
cit : & tres dies & dimidium , à primo adventu Do-
mini uſque ad ſecundum adventum ejus.

*Et timor magnus cecidit ſuper videntes eos : de
hominibus vivis dixit. Quia & juſti , quos dies judi-
cii vivos invenerit , pertimeſcent in reſurreſtione dor-
mientium. Et videbunt eos inimici eorum.* Hic ſepa-
ravit juſtos ab his quos in commune dixerat timuiſſe.
*Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus , id
eſt , perſecutio in adventu Domini. In illa hora qua
dicitur , omne tempus ſignificat , ut qui in teſto eſt ,
non deſcendat tollere quicquam de domo ſua , id eſt ,*
qui per Evangelium vivit , non præſumat revestire
hominem veterem , & quod ſemel abrenuntiaverat ,
habere non deſideret. *Et decima pars civitatis ce-
cidit , & occiſa ſunt in terræmotu ſeptem millia , id
eſt , in perſecutione Antichriſti dicetur cecidiſſe ſep-
tem millia. Septem millia & decem millia , perfectus
numerus intelligitur. Duo ſunt ædificia in Eccleſia ,
unum ſupra petram , quod eſt Chriſtus : alterum ſu-
per arenam , quod eſt hæreſis : hoc dicitur corruiſſe
in perſecutione , & ceteri timuerunt , & dederunt
claritatem Deo cæli. Iſti ſunt ſupra petram , quia
quando injuſtos terræmotu morientes viderint ipſi juſti
timentes , confeſſione animarum ſuarum ſollicitantur ,
& in obſervatione præceptorum plus accenduntur , &
jugiter Deum clarificant , ſicut ſcriptum eſt : *Videns
impium puniri aſtutior fit.* Finita recapitulatione
quam prætermiſſo ſeptimo Angelo dixerat , repetit
ordinem dicens : *Væ ſecundum abiit :* primum enim
væ pro locuſtarum prælio dicitur abiſſe ; & alte-
rum*

Matth.
24.v.17.

Prov. 15.
v.5.

rum venisse in equos, quos in visione viderat. Non dixit ibi vae secundum abiit, ne statim tertium describeret, quia in locustas & in equos duobus modis vae recapitulatum est. Nunc finita ipsa recapitulatione dicitur vae secundum abiit: Vae ergo secundum quod abiit equorum est: quod sequitur, tertium vae. Et septimus Angelus in quo finis describitur, hic videtur duos fines fecisse in sequentes, unum recapitulationis, & alterum ordinis. Dixit enim finem in resurrectione testium, id est, Legis, & Evangelii, quem hic supra exposuimus, quos praeter ordinem subiecerat, & inducit alterum, quem pugnae equorum debebat dicens: *Vae secundum abiit: ecce vae tertium venit citò. Et septimus Angelus tuba cecinit, & factae sunt voces magnae in caelo dicentes: Factum est regnum mundi hujus Dei nostri & Christi ejus, & regnabit in saecula saeculorum. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui venisti, quoniam accepisti virtutem tuam magnam & regnasti. Et gentes iratae sunt, & venit ira tua, & tempus quo de mortuis judicetur. Initium dixit & finem. Regnasti, & gentes iratae sunt. Primus adventus est, Venit ira tua, quo de mortuis judicetur: Secundus, Et dare mercedem servis tuis Prophetis, & timentibus nomen tuum, & corrumpere corrumpentes terram. Ecce vae tertium venit in voce septimi Angeli, in quo est novissimum certamen, & Domini manifestus adventus. Non est qui laudet Dominum, & gratias agat Creatori praeter Ecclesiam, quia cum recte vivit & recte credit; tunc à malis hominibus vae patitur. Unde intelligimus bonorum remunerationem*

nem non esse sine malorum vae. Sicut ipsa Ecclesia dixit: *Venit ira tua, & tempus quo de mortuis iudicetur, & dare mercedem servis tuis, & corrumpere corrumpentes terram*: hoc est vae novissimum quod Aquila dixerat *vae, vae, vae, habitantibus terram de reliquis vocibus tubae trium Angelorum qui tuba canituri sunt*, in hoc vae fecit finem. Sed recapitulata nativitate Domini, eadem altera (1) clarius dicturus.

Et apertum est templum Dei in caelo, & visa est Arca Testamenti ejus. In templo ejus, id est, in Ecclesia manifestatus est Christus, & aperta est prophetia in Ecclesia. Et facta sunt fulgura, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna. Hæc omnia virtutes sunt coruscationis, & prædicationis, & bellorum Ecclesiæ. Sicut supra in septem Angelorum tubis exposuimus ab adventu Domini usque in finem, ut quid per singulas tubas quemadmodum per partes factæ sunt recognoscas; ita & nunc, ut templum Dei in caelo apertum est, & pugnæ secutæ, dicens: *Et vidi*, inquit, *bestiam ascendentem de abyssu.* Post multas plagas sæculo infixas ascendisse bestiam dicit de abyssu. Hæc proprie de Antichristo dicit: quia ex quo Christus natus est, semper in malis hominibus fuit: qui Christum crucifixerunt, abyssus ipsius fuerunt: qui Ecclesiam persecuntur, abyssus Antichristi sunt: abyssus enim homines sunt in tenebris ambulantes: quia sicut Christus habuit mediatores suos Patriarchas & Prophetas, qui eum significaverunt, & postquam venit, ipsi eum cognoverunt, qui & significaverunt, & inde suscitata est Ecclesia, & Christus caput totius

B

tius

(1) f. Ulterius clarius dicturus est.

Cap. 12.

tius Ecclesiæ in uno corpore regnat cum suis membris ; ita & Antichristus habet mediatores suos , Reges malos , & Sacerdotes , quorum membra sibi per opera prava recognoscit , & omnium malorum Rex est & caput : *Et signum magnum visum est in cælo*, id est , in Ecclesia Deum hominem fieri : *Mulier amicta sole*, & *luna sub pedibus ejus*, & *in capite ejus corona stellarum duodecim*, antiqua Ecclesia est Patriarcharum , & Prophetarum , & Apostolorum , quæ gemitus & tormenta desiderii sui habuit , usque quo Christum secundum carnem promissum ex ipsa sua gente videret corpus sumpsisse. Sole autem amicta spes est resurrectionis. Luna verò , pericula Sanctorum , quæ in tenebris istius sæculi patiuntur : quod deficere numquam potest : nam quemadmodum minuitur , ita & augetur. Ita & Sancti habent in tenebris lucem , sicut luna. Corona autem stellarum duodecim chorum Patrum significat , ex quibus erat Christus carnem sumpturus. Et in Christo duodecim Tribus Israel , quod est Ecclesia. *Et mulier in utero habet*, & *clamabat parturiens*, *cruciabunda parere*. Hanc mulierem Ecclesiam dicimus , quæ Christum in utero habet. Quia Ecclesia cum grandi gemitu parturit , quæ Christum imitari cupit. *Et visum est aliud signum in cælo : ecce draco roseus magnus*. Cælum Ecclesia est : draco diabolus. Simulat se Christum adoraturum per suos ministros in Ecclesia , ut sicut Herodes intestinus hostis quem adorare simulabat , occidere quærebat ; ita diabolus natum mulieris Ecclesiæ per malos christianos simulando sanctitatem Christum in pectore nostro conatur occidere. *Habens capita septem*, & *cornua decem*. Sed qui sunt capita , ii sunt & cornua. In septem capita omnes Reges , & in

in decem cornua omnia regna dicit : utrumque enim perfectus numerus dicitur. *Et cauda ejus trahit tertiam partem stellarum cæli , & misit eas in terram.* Cauda hujus draconis Prophetæ , & Sacerdotes iniqui sunt , sicut in locustas diximus , qui stellas cæli adhærentes sibi , id est , Sanctos qui videntur intra Ecclesiam , dejiciunt in terram : quia omnes Sancti cælum sunt , & peccatores terra dicuntur : ipsi sunt sub pedibus mulieris. *Et genuit mulier filium masculinum , id est , Ecclesia Christum.* Deinde corpus ejus , quod sunt Sancti , quos quotidie cum gemitu parurit. Unum filium dixit , quia Christus , qui caput est , cum Ecclesiæ membris unum est corpus. Masculinum dixit , id est , victorem adversus diabolum , qui feminam vicerat. Nam & femina quæ diabolum vicerit , masculus nuncupatur. Et masculus quem diabolus vicerit , feminam superare diabolus dicitur. *Et mulier fugit in eremum , id est , in desertum , quod sunt homines mali , qui prædicationem non recipiunt , qui sunt scorpiones , & viperæ , de quibus Dominus servis suis ait : Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones.*

Luc. 10.
v. 19.

Et factum est prælium in cælo : Michael & Angeli ejus pugnabant cum dracone , & draco pugnavit & Angeli ejus. Michael Christum dicit : cælum Ecclesiam , & Angelos ejus sanctos homines. Nemo est qui habeat Angelos nisi Dominus noster Jesus Christus. Absit enim ut credamus diabolum cum Angelis suis in cælum ausum esse pugnare , qui in terris unum hominem Job à Domino expetivit ut læderet. Potestatem namque pugnandi cum semine mulieris , non cum filio Dei , aut Angelis ejus , accepit. *Et non valuerunt , neque locus eorum inventus est amplius.*

in caelo, id est, in hominibus sanctis dixit, qui credentes semel Christo, expulsum diabolum amplius non recipiunt. *Et cum vidisset draco qui exclusus est in terra, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum*: quanto enim diabolus dejicitur, tanto magis persequitur. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam velut flumen, ut eam flumine afferret*, id est, populum qui persequitur, Ecclesiam significat. *Et vidi ascendentem bestiam de mari*. Supra dixerat de abyssu, & nunc dicit de mari. Mare, & abyssus, & bestia unum est, id est, homines mali qui nascuntur ex hominibus malis, sicut viperæ nascuntur de viperis. In hac bestia multa demonstrat membra, aliquando diabolum, aliquando Sacerdotes malos, aliquando populum malum, aliquando Religiosos falsos. *Habentem cornua decem, & capita septem, & super cornua decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiarum*. In cornua potestatem dicimus, vel superbiam: in capita, Principes mundi: in diademata, nomen christianitatis: in nomina blasphemiarum, Principes suos laudant & timent, & quasi Deos obaudiunt, & Deum, qui fecit omnia, cognoscere nolunt, & sine dubio in Antichristi membra reperiuntur. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra*. Aliam dixit de officio, sed una est, quia ista secunda voluntatem prioris bestiae facit. Falsum Prophetam & Sacerdotem dicit. *Et habebat duo cornua similia Agno*, id est, Legem & Evangelium prædicabat, sicut Agnus, & simulabat speciem justi hominis: & loquebatur quasi draco. *Et ignem descendere de caelo faciunt in conspectu hominum*: sicut & hodie Magi per Angelos refugas signa faciunt in oculis hominum, ita & Sacerdotes mali adstante populo baptizant,

Sacerdotes ordinant, sive reconciliant. Hæc ignem faciunt descendere de cælo. Ignis Spiritus Sanctus est: Cælum Ecclesia: & seducunt eos, non qui in cælo habitant, sed qui in terra: & faciunt se ipsos simulacrum bestię prioris, & per ipsos in Ecclesia regnat Antichristus.

Et vidi, & ecce Agnus stans in monte Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus eorum. Agnus Christus est: Sion speculatio contemplationis est: centum quadraginta quatuor millia omnis omnino Ecclesia est. Hi sequuntur Agnum: *hi cantant canticum novum*: id est, prædicant Christum natum & passum: & per baptismum & pœnitentiam remissionem omnium peccatorum.

Et vidi alium Angelum volantem per medium cælum, & alium Angelum sequentem illum, id est, Eliam & qui cum eo venturus est, qui anticipabit prædicatione sua regnum Antichristi. Hæc secundum litteram diximus. Mysticè autem, Angelum in cælo volantem, & alium sequentem, Legem & *Evangeliū* dicit. In cælo, id est, in Ecclesia, prædicatione discurrentem: & *Angelus secundus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna.* Babylonem civitatem diaboli dicit, id est, populum ipsius. Nam sicut civitas Dei Ecclesia est, ita è contrario civitas diaboli, Jerusalem est, & Babylon in omni mundo, & ista Jerusalem est quæ occidit Prophetas, & illa Jerusalem cælestis Dei est, ubi nostra conversatio est. Illa libera est, quæ est mater omnium nostrorum: ista servit cum filiis. Nostra vero Ecclesia in hoc mundo non dicitur Jerusalem, id est, visio pacis, quia in pugna est: sed Ecclesia nostra Sion dicitur, id est,

speculatio contemplationis, quia terrena calcat & medullitus ad cælestia anhelat, & per ænigmata contemplatur, quem paulo post facie ad faciem videre desiderat. Quod autem dicit *Cecidit Babylon magna*, hoc damnatis ad iudicium pertinet: quasi factum dicit quod futurum est. Quod duabus vicibus repetit *cecidit*, *cecidit*, primum videmus per hæreses, & schismata, & discessionis opera ab Ecclesia cecidisse, (1) & ipsos in diem iudicii dupliciter damnatos esse. Et Angelus tertius secutus est dicens: *Si quis adoratur bestiam, & simulacrum ejus, & acceperit notam in fronte sua, & ipse bibit ex vino iræ Dei, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Dei in sæcula sæculorum*. Bestiam supra diximus diabolum & populum ejus esse. In fronte cognitio diaboli. In dextera verò nomen quasi christianitatis, sed notam in dextera aut in fronte accipiunt, cum ea quæ ejus esse cognoverunt, faciunt.

Et vidi & ecce nubem albam: & super nubem similem filio hominis, id est, Christo: Ecclesiam describit in claritate sua persecutionis flamma albescentem. *Habens in capite suo coronam auream*. Ipsi sunt seniores cum coronis aureis: *& in manu sua habebat falcem acutam*, id est, in opere suo potestatem maledictionis. Propter quod omnis fur, & perjurus ex hac usque ad mortem pœnas luet. Fur, & perjurus, hypocritæ sunt, de quibus Dominus ait: *Qui non intrat per januam, quod est Christus, fur est, & latro*. Et Angelus exiit de templo clamans voce magna sedenti super nubem: *Mitte falcem tuam, & mete, quia matura facta est messis terræ*. Et alius Angelus exiit, & ipse

Joan. 10.
v. 1.

(1) *Exposuit primum: desideratur secundum.*

ipse habens falcem acutam, dicens: *Mitte falcem tuam, & vindemia botros vineæ terræ, & mitte in torcular iræ furoris Domini.* Falx messoria, & vindemiatoria, unum est, & uno tempore fiunt. Calcatio autem torcularis, & sectio messis, retributio peccatoris est. Ut qui modò non excutiuntur per pœnitentiam à paleis ut grana fiant, & non torquentur per torcular tribulationis, ut triticum & vinum intra Ecclesiam fiant; torqueantur sine fine extra Ecclesiam in gehenna. *Et vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, Angelos septem habentes plagas septem novissimas, quia in ipsis consummata est indignatio Dei.* Dicit de septem, & repetit de septem, hoc spiritualiter intelligendum est, quia in septem plagas perfectionis ira intelligitur, sicut per septem Ecclesias septenaria gratia declaratur. In has septem plagas iram Domini dicit, quia semper ira Dei perfectè percutit populum contumacem. *Et vidi sicut mare vitreum, stantes super eum habentes citharas & phialas.* In mare baptismum, quia aqua maris amara est. Per aquam baptismum, per amaritudinem pœnitentia intelligitur. Per vitrum verò fragilis, quia baptismum citò frangitur, sed per pœnitentiam in fornace tribulationis restauratur. Citharas quas dicit, corda laudantium Deum, id est, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis hujus sæculi, & mortificaverunt membra sua quæ sunt super terram. *Post hæc vidi & apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo, & exierunt septem Angeli qui habent septem plagas de templo.* Templum, tabernaculum, & cælum, unum est, id est, Ecclesia. Quod autem dicit *apertum*, manifestatio est, sive bona, sive mala in Ecclesia. Septem Angeli habentes plagas septem, Ecclesiæ sunt, quæ in septiformem gratiam

Cap. 15.

unam Ecclesiam faciunt, & habent datam potestatem à Domino ligandi & solvendi: & unusquisque sive bonum faciat, sive malum, non potest in Ecclesia occultari. *Et unum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas ira Dei viventis.* Istæ sunt phialæ quas cum odoribus ferunt seniores & animalia, quæ sunt Ecclesia, quæ & septem Angeli, & quæ sunt odora menta, hoc est, ira Dei. Orationes enim Sanctorum, qui est ignis exiens ex ore testium, hoc totum ira est mundo. Unum ex animalibus dedit Ecclesiæ phialas, id est, Evangelium prædicationis, & si quis audierit salvabitur, & qui non audierit, in ira Dei percutietur: Evangelium autem voluntas Dei est. Omnis qui Christum sequitur, voluntatem patris facit. *Et nemo poterat intrare in templum, quousque finiatur septem plagæ,* id est, nemo ex hypocritis poterit intrare Ecclesiam, quia erit pressura magna qualis nunquam fuit. Et non liberaretur omnis caro, nisi Deus propter electos breviasset illos dies.

Cap. 16. *Et audivi vocem de cælo magnam dicentem septem Angelis: Ite, effundite phialas iræ Dei in terram.* Data est potestas Ecclesiæ, ut iram perfundat in terram de qua exiit. Omnes istæ plagæ spirituales sunt: nam ipso tempore illæsus erit omnis populus impius ab omni plaga corporis, quasi qui acceperit totam malefaciendi potestatem. Neque flagellatur in corpore, quia si flagellaretur, aliquando corripere tur. Sed usque in finem in adimpletionem peccatorum suorum perdurat. *Et primus Angelus effudit phialam suam in terram. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare. Et tertius Angelus effudit phialam suam in flumina, & fontes aquarum. Et quartus Angelus effudit phialam suam super solem.*

Et

Et quintus Angelus effudit phialam suam super thronum bestiae. Et sextus Angelus effudit phialam suam super flumen magnum Eufratem. Et septimus Angelus effudit phialam suam super aerem. Terra autem, mare, flumina, fontes aquarum, sol, thronus bestiae, fluvius Eufrates, aer, super quæ Angeli effuderunt phialas, terra est, id est, homines: quod probare facile est. Omnibus enim Angelis in terram fundere mandatum est. Omnes autem plagæ istæ spirituales intelligendæ sunt. Plaga est enim miserabilis, & ira magna accipere potestatem peccandi, maximè in Sanctos, nec corripì. Adhuc major ira Dei est tormentorum fomenta subministrari, ut unusquisque Sanctus quidquid facit, sibi justitiam putet, ut semper sibi placeat, & putet se Deo sacrificare, & fratribus ministrare. Hæc est plaga iræ Dei, quæ maximè in servis Dei grassatur, qui voluntates proprias sequuntur. *Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestiae, & ex ore pseudo-prophetæ spiritus tres immundos quasi ranæ.* Draconem jam supra diximus diabolum esse: & bestia, id est, corpus diaboli, quod sunt homines mali: & pseudoprophetæ, id est, præpositi corporis diaboli, quod sunt Sacerdotes & Prædicatores mali, unum spiritum habent quasi ranæ. Ranæ dæmones sunt. Ranæ enim in lacunas, & collectiones aquarum nutriri solent, & hæc aqua immunda est: & nihil ad aliud prodest animal ipsum, nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit: per se tamen animal immundum est, & aqua ubi nutritur sordidissima. Quid est aliud nisi pseudoprophetæ, id est, Sacerdotes & Prædicatores sordidissimi, qui quantum per se sordidi sunt, sicut ranæ: etiam & ipsa aqua scripturarum inflata modulatione, velut ranarum sonis

& cantibus, huic mundo deceptionis fabulas inferunt. Sic sunt intra Ecclesiam sub nomine religionis, ut Ecclesiam premant; & in hoc pseudoprophetae quatuor membra sunt, id est, *Hæreticus*, quod unusquisque id sibi eligat & faciat arbitrio suo, quod melius illi esse videtur, & si ab aliquo Catholico corripitur, iudicat quod fecerit, & hoc sibi sanctum prædicat. Iste foris Ecclesia est. Alius est *Schismaticus*. Schisma à scisura animorum vocata: eadem enim religione, eodem cultu, eodem ritu credit ut ceteri Sancti; sed solo congregationis delectatur discidio, id est, cum cæteris Sanctis, qui in Ecclesia sunt, unum non habet consilium, quia plus se sanctum putat esse, quàm ceteros in Ecclesia. Et quia plus vigilat, plus laborat, plus jejunat quàm ceteri, ita plus se sanctum æstimat, ut omnia immunda se sanctificare dicat. Alius est *Superstitiosus*. Superstitio dicta est, eo quod sit superflua, aut super instituta Religionis observatio. Et isti non vivunt æqualitèr ut cæteri fratres, sed, quasi amore martyrum, semetipsos perimunt, ut violentèr de hac vita discedentes, & martyres nominentur. Hi græco vocabulo *Cotopices* dicuntur, quos nos latinè *Circumcelliones* dicimus, eo quod agrestes sint. Circumeunt provincias, quia non sinunt se uno in loco cum fratribus uno esse consilio, & unam vitam habere communem, ut anima una, & corde uno vivant Apostolico more, sed, ut diximus, diversas terras circuire, & Sanctorum sepulcra pervidere, quasi pro salute animæ suæ: sed nihil eis proderit, quia hoc sine consilio communi fratrum faciunt. Quartus est *Hypocrita*. Hypocrita dicitur græco sermone, quod latinè simulator dicitur. Qui cum intus malus sit, bonum se palàm ostendit, *hypo* enim falsum dicitur: *crisis* iudicium

cium interpretatur. Nomen autem *hypo* tractum est à specie eorum qui in spectaculis contacta facie incedunt, distinguentes vultum ceruleo, id est, nigro, mineoque colore, & ceteris pigmentis, habentes simulacra oris lintea gypsata, & vario colore distincta. Aliquando & colla & manus certe perungentes, ut ad personæ colorem pervenirent, & populum dum in ludis agerent, fallerent: & modò in specie viri, modò in feminæ, modò tonsi, modò criniti, modò senili, modò virginali, ceteraque specie, ætate, sexuque; species argumenti translata est, & de hoc accepit hypocrita nomen, de his scilicet qui in falso vultu incedunt, & simulant quod non sunt. Ita hoc genus Monachorum intus sunt mali, sed foris bonos se ostendunt. Nam hypocritæ dici non possunt, ex quo foras exierint, cum se manifestaverint, sed jam hæretici dicuntur. Hæc quatuor genera propriè dicuntur pseudoprophetæ. Et dicti *pseudopropheta*, eo quod à se surgunt, sive in Episcopatu, sive in Presbyterio, sive in Diaconatu, sive in Religionis ostensione, sive in pœnitentiæ cultu, suo arbitrio vivunt, & quod faciunt, sanctum sibi dicunt: & non per auctoritatem Scripturarum, sed verbis mendacibus defendunt. Quare? quia non à Catholica Ecclesia eliguntur, isti sunt fures, & latrones, qui non per ostium in Ecclesiam intrare volunt, quod est Christus. Hi sunt membra draconis, & bestię, pseudoprophetæ: de quorum ore tres spiritus immundos quasi ranæ vidit exire. Unum spiritum vidit, sed pro numero partium unius corporis membra demonstravit. Draco, id est diabolus; bestia, id est, corpus diaboli, quod est populus malus. Et pseudoprophetæ, id est, præpositi corporis diaboli, unum spiritum habent, quasi ranæ, quia unum verbum omnes adfirmant.

Et

Et septimus Angelus effudit phialam suam in aere, & exiit vox magna de templo à throno dicens: Factum est, id est, finitum est. Templum verò & thronum, Ecclesiam dicimus. Cum verò dicit finitum est, septem plagas dixit finiri, sed recapitulat ab eadem persecutione. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus qualis non fuit factus ex quo homines facti sunt super terram. Tantus terræ motus, & tam magnus, id est, pressura qualis non fuit. Et facta est civitas illa magna in tres partes. Civitas magna omnis omnino populus est, quisquis est sub cælo; qui fiet in tres partes, cum Ecclesia divisa fuerit, ut sit gentilitas una pars, & abominatio vastationis altera, & Ecclesia, quæ exiit de medio ipsius, tertia. Et Civitates gentium ceciderunt, & Babylon illa magna in mentem Deo venit, dare ei poculum vini iræ suæ. Et omnis Insula fugit, & montes non sunt inventi. Civitates gentium gentes sunt non baptizatae. Babylon abominatio est vastationis, quod est latinè generale malum. Sive in paganos, sive in Christianos, sive in servos Dei, quidquid malum agitur Babylon dicitur. Babylon enim confusio, id est, commixtio interpretatur. Et quidquid malum est, à Christo & ab Ecclesia separatur. Tunc autem Babylon cadit, aut iram Dei bibit, cum potestatem accipit adversus Ecclesiam: præcipuè novissimo tempore. Propterea ipsam dicit cecidisse pro terrore & metu & contumelia quam facit Ecclesiæ, quia ut diximus, pagani & Christiani mixti sunt cum Ecclesia. Non enim separatas Civitates habent Christiani, ut ipsæ specialiter ceciderint. Aut si in diem iudicii putandum est, cur postea Babylon in mentem Deo venit? Sed hæ Civitates bonæ & malæ in omnes des-

cri-

cribuntur. Et quod dicit Civitates gentium ceciderunt, id est, spem suam, quam in hoc mundo habebant, perdiderunt. Insulæ verò, & montes, qui fugerunt, & non sunt inventi, Ecclesia est, cum omnes injurias subportat, & malum pro malo non reddit. Et cum convitia sustinet, & ad verba blasphemantium non respondet, fugere & non esse inventa dicitur. *Et grando magna quasi talentum descendit de cælo super homines.* Hanc grandinem dixit iram Dei quam populo Deus comminatur. *Et blasphemaverunt homines Deum ex plaga grandinis, quoniam magna est plaga ejus nimis.* Hæc plaga, quam diximus, hodie intra Ecclesiam est. Et dum unusquisque præcepta Domini non facit, spiritualiter à grandine devastatur. Grando enim quidquid tenerum invenerit, devastat: ita ira Dei quidquid tenerum, id est, mole & dissolutum, vel tepidum invenerit, tunc devastat, cum totis viribus laborantem non videt. *Et venit unus ex septem Angelis habentibus septem Phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt qui habitant terram de vino fornicationis ejus.* Unus ex septem Angelis quem dicit, Ecclesia est. Phialam verò Evangelium est. Mulierem meretricem, quam dicit, corruptelam & opera mala, dicit sedere super aquas multas, id est, super populos. Aquæ enim populi sunt, sive Christiani sint mali, sive pagani, sive hæretici: ipsa est illa bestia quam supra diximus. Reges terræ quos dicit, Principes mundi sunt, quos dicit inebriatos, id est, opera eorum, & lusio mala, quæ in terra fit per ipsos. *Et pertulit me in Eremum in spiritu: &*

vidi mulierem sedentem super bestiam. Eremum dicit desertum, id est, ubi prædicatio evangelica nec fit, nec recipitur. Deserti dicuntur, quia à Deo deseruntur. Bestia verò, & aquæ multæ, unum est, id est, populus malignus, qui corpus est diaboli, & est adversarius Agno, id est, Christo, & Ecclesiæ. *Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam,* id est, peccatricem, & cruentam sanguine martyrum, & omnium Sanctorum: *habentem capita septem, & cornua decem:* Capita septem omnes Reges dicit, & cornua decem omnia regna. Quia septem & decem perfectus numerus est. *Et mulier erat adornata auro, & lapide pretioso, & margaritis. Et habebat in manu sua calicem aureum, plenum abominationum, & immunditiarum fornicationum ejus.* Quod autem dixit *erat ornata, & calicem aureum,* plenum immunditia, hypocritæ sunt: quia foris quidem apparent hominibus quasi justi, intus autem pleni sunt immunditia. Hæc mulier cum bestia, & Reges terræ visi sunt in cælo, id est, in Ecclesia. *Hi sunt qui cum Agno pugnabunt,* id est, usque in finem sæculi, Ecclesiæ adversabuntur. *Et Agnus vincet eos, quia Dominus Dominorum & Rex Regum est, & qui cum eo vocati & electi & fideles,* id est, sæculum dicit vocatos, vel electos, & fideles, quia non omnes vocati & electi sunt, sed *multi vocati, pauci verò electi.* Multi fideles, sed non electi. Et dictum est mihi: (1) *Veni ostendam tibi mulierem agni, & ostendit mihi Civitatem descendantem de cælo.* Agnus Christus est, mulier Agni Ecclesia est. Semper *descendit de cælo,* quia semper de Ecclesia nascitur Ec-

Mattb.
20.v.16.

(1) Hæc ex cap. XXI. v. 9. & 10. præposterè hic adnotata.

clesia, id est, de Sanctis Sancti, imitando Sanctos: sicut è contrario, de malis mali, imitando malos.

Postea vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à claritate ejus, & clamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna civitas, & facta est habitaculum dæmoniorum. Iste Angelus Christus est. Quod autem clamavit fortiter, prædicatio Evangelii est. Quod verò dicit, cecidit Babylon magna, & facta est habitaculum dæmoniorum, plenius ostendit Babylonem in duas esse partes divisam: Id est, paganos & Christianos malos, qui utrique à Deo separantur: uni negant per fidem, alii per opera. Propterea admonet Ecclesiam, dicens: Exite de ea populus meus, ne communicetis peccatis ejus, & plagis ejus ne lædamini, hoc Ecclesiæ dicit. Et tulit unus Angelus lapidem molarem grandem, & misit in mare, dicens: Sic impetu dejicietur Babylon magna civitas, & non videbitur amplius. Jocunditatem dicit transire impiorum & ultra non inveniri. Postea audivi vocem magnam populi multi in cælo dicentis: Alleluja. Hæc semper dicit Ecclesia. Cum discessio facta fuerit, & cum apertius vindicata, tunc vere à Babylonia separabitur, non in hoc mundo, nisi cum utrique de corpore exeunt, & vadunt impii in profundum inferni, quem Angelus lapidem molarem in profundum maris nominavit: justi verò in vitam æternam. Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & sessor ejus vocatur Fidelis & Verus. Iste equus Ecclesia est, & sessor ejus Christus: hic est equus quem primo signo viderat inter roseum, & nigrum, & pallidum. Et vidi Angelum stantem in sole, id est, prædicationem in

Cap. 18.

Cap. 19.

Ecclesia : & clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quæ volabant in medio cælo : Venite congregamini ad cœnam magnam Dei , ut manducetis carnes Regum , & Tribunorum , & fortium , liberorum , & servorum , pusillorum , & magnorum. Hos omnes spiritualitèr comedit Ecclesia , dum comedit : has discesiones , & epulas spirituales paratas habet Ecclesia. Aves volantes Ecclesiam dicit : & quos comedere diximus , inimici Ecclesiæ sunt , quos semper spiritualitèr devorat. *Et vidi bestiam , & Reges terræ , & exercitus eorum congregatos facere bellum cum sedenti super equum , & cum exercitu ejus.* Bestia diabolus est , & omnis populus qui contra Ecclesiam & Christum pugnant. *Et capta est bestia , & cum ea pseudopropheta , qui fecerat signum in conspectu bestię , ut adorarent simulacrum ejus. Viventes misi sunt ipsi duo in stagnum ignis ardentis & sulphuris.* Bestia capta quod dicit , in finem adventus sui Dominus diabolum comprehendet , & cum eo pseudopphetam , id est , diabolum , & populum malignum , & præpositos : unum corpus divisit in partes. Nam ii duo viventes populus est , & præpositi , quos Dominus vivos invenerit. Hos dicit viventes mittere in stagnum ignis ardentis. *Reliqui verò occisi sunt gladio sedentis super equum , exeunte de ore ejus : & omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum ,* id est , quos in suo adventu Christus mortuos invenerit , pro ipsis dicit reliquos. Sedentem super equum , Christum dicit super Ecclesiam. Gladius ex ore ejus verbum est prædicationis. Omnes aves quas dicit Sancti sunt , quod est Ecclesia. Quod verò saturari dicit de carnibus eorum , id est , omni tempore comedet Ecclesia carnes inimicorum suorum. Saginabitur autem in resurrectione de

eorum carnali opere vindicata. Post adventum Domini autem & bestię damnationem, quis occidetur gladio, à manifestis avibus comedendus, cum corpora eorum tunc resurgant, ut homines integri judicentur? Hic facit finem, & recapitulat ab origine.

Et vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu ejus; & tenuit draconem, id est, diabolum, & ligavit eum in abyso annis mille. Et clausit & signavit super eum, ne seducat amplius homines usque dum finiatur mille anni. Angelum quem dixit, Christum dicit primo adventu. Clavem abyssi populi sui potestatem. Catenam quam dicit, potestatem quam dedit Deus populo suo. Quod verò dicit *ligavit eum mille annis in abyssum*, abyssus populus est exclusus de cordibus credentium. Quod dixit *mille annos*, à primo adventu Domini, usque ad secundum adventum dicit, ut eis qui credituri sunt non noceat quantum cupit. *Post hæc oportet eum solvi modico tempore*, id est, in fine sæculi, quando in Antichristo ingressus ille Princeps diabolus, & sui ministri in homines malos, tunc talem potestatem habebit, qualem numquam habuit, nec etiam antequam Christus veniret. *Et vidi thronos, & sedentes super eos, & judicium datum est eis.* Thronos duodecim tribus Israel dicit, quod est Ecclesia, quæ sedet in Christo: à primo adventu Domini, de quo diabolus ligatus est, jam sedent & judicant, quia sicut scriptum est, jam *Sancti mundum judicant*: sed ipsi hoc faciunt qui perfectè mundum derelinquunt, & Christum tota mente sequuntur. Hoc de vivis sanctis dixit. Dicit & de sepultis sanctis: *Et vidi animas occisorum propter verbum Dei & testimonium Jesu.* Ambobus enim perhibet Ecclesia testimonium, id est,

1. Cor. 6.
v. 2.

verbo & carni, qui est unus Christus filius Dei. *Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima; in eis secunda mors non habet potestatem.* Id est, qui in hoc sæculo venerit ad pœnitentiam; in futuro non mittetur in gehennam. *Sed erunt Sacerdotes Christi, & regnabunt cum eo mille annis,* id est, in perpetuum. Mille enim perfectus numerus est. *Et cum finiti fuerint mille anni, solvetur Satanias de custodia sua,* id est, solvetur in nihilum, simulque deficiet, & vadet in perditionem æternam. Nam non sic solvitur ut liberetur, sed *seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, quod est Gog, & Magog.* Seducere, disperdere est, & secum in perditionem trahere. Omnes impios quos in quatuor angulos terræ seduxit, in unam secum perditionem collectos, æternis faciet mancipari suppliciis. *Et congregabit eos in prælium, quorum est numerus sicut arena maris,* id est, multitudo peccatorum elevati in superbia, sed terrena eos opera deprimunt. *Circumeunt castra Sanctorum,* id est, communes volunt Sanctis existere. Sed jam prophetatum est de ipsis: *Convertantur ad vesperum, & famem patiantur ut canes, & circuibunt civitatem.*

Psal. 58.
v. 7.

Et descendit ignis de cælo, & devoravit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & pseudo-propheta cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum. Hæc est illa solutio quam supra diximus, ut seductor cum seductis intereat. *Et vidi thronum magnum & candidum, & sedentem super eum.* In throno, iudicii figura est, quando Christus in diem iudicii per semetipsum omnem mundum iudicabit. *Candidum* quod dicit, quia unumquemque per justitiam iudicabit. *A cuius conspectu fugit ter-*

terra, & cælum, quia non poterit tantæ potestatis iudicium sustinere cælum, & terra. Nullus enim locus in loco est apud illum, sed quasi nihilum & inane reputata sunt ei. Sic ostensa forma iudicii, iudicantis qualitate disposita, iudicium ipsum agitari jam dicit: *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt*, id est, universorum opera declarantur. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ*. Liber vitæ Christus est. Tunc ostenditur universæ creaturæ suæ. *Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum*, id est, per Legem, & Evangelium iudicati sunt secundum quod ex eis fecerunt, aut non fecerunt. *Et dedit mare mortuos suos*, id est, quos vivos invenerit in isto sæculo: *Et mors & infernus dederunt mortuos suos*: ipsæ sunt gentes sepultæ. *Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus*, id est, qui non est iudicatus à Domino vivus, *missus est in stagnum ignis, hæc est mors secunda*.

Et vidi cælum novum, & terram novam. Pri- Cap. 21.
imum enim cælum & terra abiit, & mare jam non est. Et Civitatem Sanctam Jerusalem novam vidi ascendentem de cælo à Deo, compositam sicut sponsam ornatam viro suo. Cælum novum, & terram novam, dicit Sanctos sine corruptione. Jerusalem, cælestis multitudo Sanctorum est, quæ cum Domino dicitur esse ventura, conjungenda Domino suo, in æternum mansura cum eo. Et audiivi vocem de throno dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum ipsis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor. Quæ prima fuerunt, abierunt.



INCIPIIT TRACTATUS

DE APOCALYPSI JOANNIS
 in explanatione sua à multis Doctoribus, &
 probatissimis viris illustribus, diverso quidem
 stylo, sed non diversa fide interpretata: ubi
 de Christo, & Ecclesia; de Antichristo,
 & ejus signis plenissimè cognoscas.

P R O L O G U S.

Biformem Divinæ Legis Historiam duplici Sacra-
 menti mysterio disserendam, non nostræ humani-
 tatis fragilitas aliter poterit enarrare, nisi ab ipso
 Auctore suæ legis Domino Jesu Christo modum di-
 cendi, & sermonem sumat eloquii: unde Apocalypsin
 Sancti Joannis expositurus, habitatorem ejus invoco
 Sanctum Spiritum, ut qui illi secretorum suorum arcana
 revelavit, nobis interioris intellectus januam (1) pan-
 dat; ut possimus quæ scripta sunt, inculpabiliter disse-
 rere, & veraciter (2) Deo magistrante depromere. Ini-
 tium itaque libri de quo agitur, ita describitur: (3)

Cap. I. "Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus
 » palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito. Et
 » significavit mittens per Angelum suum servo suo
 » Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, &
 » testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. Beatus
 » qui

(1) *Apud Apringium*, nobis in terris viam pandat.

(2) *Ibidem*, & vera etiam Deo magistrante.

(3) Præfatiuncula hæc Apringio adscribitur. Vide in prænotat.
 num. 47.

» qui legit , & qui audit verba prophetiæ hujus , &
 » servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim pro-
 » pe est. Joannes septem Ecclesiis , quæ sunt in Asia.
 » Gratia vobis & pax à Deo , qui est , & qui erat ,
 » & qui venturus est : & à septem spiritibus qui in
 » conspectu throni ejus sunt , & à Jesu Christo , qui
 » est testis fidelis , primogenitus mortuorum , & Prin-
 » ceps Regum terræ. Qui dilexit nos , & lavit nos à
 » peccatis nostris in sanguine suo , & fecit nos reg-
 » num & Sacerdotes Deo & Patri suo : ipsi gloria in
 » sæcula sæculorum. Amen.»

INCIPIT EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ

Historiæ.

A *Pocalypsis Jesu Christi , quam dedit illi Deus
 palam facere servis suis , quæ oportet fieri ci-
 to.* Ab eo igitur quod Apocalypsis , id est , revela-
 tio dicitur , secretorum latere sensuum manifestat abs-
 condita. Quod nisi ipso revelante quis sentiat , in-
 telligere non valebit. Apocalypsis Jesu Christi quam
 dedit illi Deus , hoc est , Joanni Apostolo beatissimo ,
 palam facere servis suis , ut quæ dicit disserat , &
 quæ disseruerit , manifestet. *Quæ oportet fieri cito.*
 Significans & rationem temporum , & sensum , & in-
 tellectum , veloci mobilitate complendum.

*Et significavit , mittens per Angelum suum ser-
 vo suo Joanni , id est , non cogitatione concepta res
 est , non aliquibus Scripturarum carminibus , sed per
 Angelum , id est , puritatis suæ nuncium , servo suo ,
 probatissimo scilicet viro , & Sanctissimo Apostolo-
 rum omnium Joanni , directa est : Qui testimonium
 perhibuit verbo Dei : videlicet , qui prædicavit filium
 Dei , & asseruit divinitatem & testimonium reddidit*

de Domino Jesu Christo, quæcumque viderat in illo, & audierat ex illo. Et inde in Epistola sua loquitur dicens: *Quod vidimus, & audivimus, & manus nostræ tractaverunt de verbo vitæ, & vita adfuit & manifestamus vobis. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ hujus, & servat ea quæ in ea scripta sunt.* Intelligi vult quod lectio non faciat custodiam mandatorum, nec auditus consummati operis perfectionem exhibeat; sed solum sit perfectio, quæ legeris & audieris ut opere facere coneris. *Tempus enim prope est.* Perficientibus enim non longum tempus remunerationis facit, sed vicinum dicit esse divini muneris donum. Deinde orditur dictorum suorum initium, & dicit *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* Numquidnam tantus & talis vir uni tantum Provinciæ, & non omnibus gentibus, divinæ mysterium pandere revelationis incaluit, ut ad tam parvum numerum Ecclesiarum unius Provinciæ sua destinaret scripta? Ab ortu enim solis usque ad occasum, laudabile est nomen Domini, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini ejus oblatio munda. Et quid sibi Asianus populus esse videtur, ut solus suscipere revelationem Apostolicam mereatur? Sed est in numero mysterium, est in vocabulo Provinciæ sacramentum. Primum enim numeri hujus discutienda res nobis est, quia & senarius & septenarius numerus mysticè semper conscriptus reperitur in lege. Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & in septimo requievit ab operibus suis; & in eo, inquit rursus, introibunt in requiem meam. Hebdomades hæ igitur præsentis sæculi signant statum, ut non tantum videatur Apostolus vel septem Ecclesiis, vel illi cui tunc intererat mundo disserere, sed universis sæ-

Malach.
I. v. II.

culis usque ad consummationem futuris, hæc scripta transmittere : unde & numerum sacratissime designavit, & Asiam nominavit, quæ latine interpretatur *elevata*, sive *gradiens*. Significat scilicet cælestem patriam, quam Ecclesiam Catholicam dicimus, elevatam à Domino, & semper ad superna gradientem quæ spiritualibus proficiens studiis, indesinenter cælestia concupiscat. *Gratia vobis & pax à Deo qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Ut enim nomen suum scriptura titulo declaravit, ubi ait, Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia; ita in verborum similitudinem sese Joannem manifestissimè comprobavit, dicendo, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Ideo enim semper esse est : unde & ad Moysen dicitur : *Ego sum qui sum.* Et ipse Apostolus in Evangelio dicit : *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Significans omne Verbum excessisse principium, quia erat in principio; nec habere principium, quia erat apud Deum : nec finem recipere, quia Deus erat verbum : manere semper, quia hoc erat in principio apud Deum : eundemque hic venturum significat, unde numquam recessit. Hic namque ait : *Cælum & terram ego impleo.* Hinc est quod sapientia illius dicit : *Gyrum cæli circumivi sola.* Inde de ejus spiritu scriptum est : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Hinc est quod Dominus iterum dicit. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Rursumque de eo scriptum est. *Cælum metitur palmo, & omnem terram pugillo concludit.* Sedi quippe cui præsidet, interior & superior manet. Cælum palmo metiens & terram pugillo concludens, ostenditur quod ipse sit cir-

*Exod. 3.
v. 14.*

*Jerem.
23. v. 24.
Eccli. 24*

*v. 6.
Sap. 1.
v. 7.*

*Isai. 56.
v. 1.*

*Isai. 40.
v. 12.*

cumquaque cunctis rebus quas creavit exterior. Id namque quod interius concluditur à concludente exterius continetur. Per sedem ergo cui præsidet, esse interius supraque: per pugillum quo continet, exterius subterque signatur: quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia, & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem. Exterior magnitudine, & interior per subtilitatem. Sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia parte superior, alia inferior, aut alia parte exterior, atque ex alia manet interior; sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Unde superius præsidens, inde inferius sustinens; & unde exterius ambiens, inde interius replens, sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens. Interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior, & superior sine loco. Est amplius sine latitudine, & subtilis sine extenuatione. Ubi igitur dicitur *venire*, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? Sed *venire* ejus est, in quo formam assumpsit, & semetipsum exinanivit. Exinanire ejus est ab invisibilitatis suæ divinitate se visibilem demonstrare. Bene ergo dicit: *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*, quia permanet, & erat: quia cum Patre omnia fecit, non de Virgine initium sumpsit: venturus utique ad judicandum. *Et à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.* Ecce hoc est illud septenarium sacramentum, quod ubique præscribitur. Hic septem spiritus inducuntur, qui est unus atque idem Spiritus, Sanctus scilicet Spi-

Spiritus : unus in nomine est , & in virtutibus septiformis. Invisibilis & incorporeus , cujus speciem deprehendere impossibile est : Cujus septenariæ virtutis numerum Isaias magnificus manifestat dicens : *Spiritus sapientiæ & intellectus* , ut per intellectum & sapientiam rerum omnium edoceret esse factorem. *Spiritus consilii & fortitudinis* , qui & excogitaret & faceret. *Spiritus scientiæ & pietatis* , qui scientiæ suæ adinventione creata pie moderaretur , & misericorditer semper intenderet. *Spiritus timoris Domini* , cujus dono timor Domini creaturis rationabilibus præstaretur. Hæc est ipsa venerandi Spiritus sancta proprietas , quæ laudem potius ineffabilem continet , non naturæ signat speciem.

Isal. 11.
v. 2.

Et à *Jesu Christo qui est testis fidelis* , *primogenitus mortuorum* , & *Princeps Regum terræ*. Quoniam superius meminerat illud Verbum , quod ante assumptionem carnis erat apud Patrem in gloria ; necessario adsumptæ humanitatem carnis adnectit , dicens : *Et à Jesu Christo , qui est testis fidelis* , scilicet , testimonium suis divinis rebus per susceptum hominem reddens , & passione sua ac sanguine interveniens pro peccatis nostris , & mundans nos ab omni iniquitate. Sic fidele testimonium pro nostra fragilitate & imbecillitate Deo defert Patri , *apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio.*

Jacob. 1.
v. 17.

Quia primus resurrexit à mortuis , dum eum mors tenere non potuit. Unde & Apostolus dicit : *Primitiæ Christus ; deinde ii qui sunt Christi* , in præsentia ejus , id est , deinde nos qui Christiani sumus per baptismum nuncupati , in secundo ejus adventu reviviscentes , à morte consurgimus. Et ideo *primogenitus* dicitur & *primitiæ mortuorum* , quia primus

1. Cor.
15. v. 20.

ipse devictis inferis repedavit ad cælos. Hic est *Princeps Regum terræ*, quia Rex Regum est, & Dominus dominantium. *Qui dilexit nos*: non enim nos diligendo Deum vicissitudinem dilectionis excipimus, sed ipse prior dilexit nos, ut pro nostra humilitate homo fieret, & servi formam acciperet, cui in terra similis non est, quia omnis homo tantummodo homo est: ipse autem Deus & homo. Nullus homo ei similis est, quia etsi adoptivus quisque filius ad percipiendam divinitatem profecit, nequaquam tamen ut Deus naturalitèr esse cœpit. Qui bene etiam servus dictus est, quia formam servi suscipere dedignatus non est. Nec majestati injuriam intulit adsumpta humilitas carnis, quia & ut servanda susciperet, nec tamen habita permutaret; nec divina humanitate minuit, nec humana divinitate consumpsit. Quia ei sic per Paulum dicitur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Non rapuit, quia habuit. Et semetipsum exinanisse est ab invisibilitatis suæ magnitudine se hominem visibilem demonstrasse, ut servi formam tegetet hoc quod incircumscripse omnia ex divinitate ante penetraret. *Et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Affectum dilectionis ipsius & caritatis ostendit. Quia in quo causa mortis non accesserit, nec naturâ, nec conditione mortalis, pro nobis mori voluit, & sic, inquit, lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo. Et quia pro nobis passus est & resurrexit à mortuis, nostrum regnum ipse construxit, ut mereremur Sacerdotes Dei Patris existere. Nostrum enim regnum fecit, dum patitur & resurgit. *Ipsi gloria in sæcula*

saeculorum. Amen. Laudem æternam & intemporalitatis gloriam creatori omnium deferre Deo. Explicit explanatio.

INCIPIT HISTORIA.

“**E**Cce venit in nubibus, & videbit eum omnis
 ” oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent
 ” se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Ego
 ” sum alpha & Ω, principium, & finis, dicit Domi-
 ” nus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omni-
 ” tens. Ego Joannes frater vester, & particeps, & socius
 ” in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu,
 ” fui in insula, quæ appellatur Pathmos propter ver-
 ” bum Dei, & testimonium Jesu Christi. Fui in spiritu
 ” in Dominica die, & audiui post me vocem magnam
 ” tamquam tubam, dicentem mihi: Quod vides scribe
 ” in libro, & mitte septem Ecclesiis, Epheso, Smirnæ,
 ” Pergamo, Thiathiræ, Sardis, Filadelphix, & Lao-
 ” dicæ.” Explicit historia. Cap. I.
v. 7.

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ECce venit in nubibus, & videbit eum omnis ocu-
 lus, & qui eum pupugerunt. Qui primò in sus-
 cepto homine venit occultus, post paululum in ma-
 jestate & gloria veniet ad judicandum manifestus. Præ-
 dicta morte ipsius, & per effectum mortis, purgatio-
 nemque peccatorum, resurrectionem ejus, atque om-
 nium per eum venturam reparationem, reddita glo-
 ria, & laude exhibita Patri Deo Omnipotenti; secun-
 dum ejus demonstrat adventum, quod in eodem sche-
 mate, in eodem corpore quo passus est, mortuus est,
 & resurrexit, sed in divina veniet potestate, non sicut
 prius

prius in humana humilitate, qui pro testimonio veri hominis, quem adsumpsit, videndum se persecutoribus præbeat. Sicut Zacharias dixit: *Videbunt in quem compunxerunt: Et plangent se super eum quasi super unigenitum*, ita & ii plangent se ait super eum omnes tribus terræ: *Etiam: Amen.* Quod est fidelitèr, verè, ut unam manifestet Dei & suscepti hominis esse personam: & exposita humanitatis ejus substantia divinæ substantiæ enunciat claritatem, atque ipsius Domini loquitur verbis dicens: *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Licet majores nostri benè atque utilitèr de re ista tractaverunt, disserendum quod *peristera*, id est, columba, in cujus specie Sanctus legitur Spiritus apparuisse, dum baptizaretur à Joanne Dominus in Jordane, quæ *peristera περιστερα*, per græcum computum octingentos reddit, quod est ω , & ad alpha revertitur, quod unum significat. Atque ita divinitatem Sancti Spiritus in Trinitatis unitate commendat. Sic faveat ipse Spiritus Sanctus, ut & nos aliquid majoribus nostris mereamur adjungere. Quid sit autem quod elementa hæc ex Alphabeto, id est, A & ω , Veritas ipsa commemorat, prudenter debemus advertere. Nam figura ipsa litteræ A tam in græcis litteris, quam in latinis, tribus ducitur rivulis, pari æqualitate porrectis, unde non sine causa divinitatis unitatem dixerunt esse majores nostri. ω . tribus æqualibus in græco virgulis subjacentibus ex parte sub rectis, scribitur. In latino autem O quadam circuli rotunditate concluditur. Nam & in hac conclusione continens omnia, & protegens, divinitas declaratur. Porrò quod ad elementorum ac litterarum pertinet rationem, elementa hæc scientiæ

sunt initia, & quædam ars stultos ad sapientiam ducens. Ergo alpha initium sapientiæ, ipsamque sapientiam Christum Dei filium manifestat: Omega quod est complementum, (græce A & ω) & apud nos O, medietas quædam habetur; significat & initium sapientiæ, & complementum, & medietatem, ipsum esse Dominum Jesum Christum, mediatorem Dei & hominum. Quod adjecit, *principium*, & *finis*, non tantum priora elementa litterarum, id est A & ω narravit, sed & magnitudinis suæ docuit potestatem, quia ipse est omnium principium, & in illo omnium exitus constat. Quia & per ipsum, & quæ finienda sunt, & quæ jam finita sunt, reparanda esse creduntur: ut sicut ipse initiis principium dedit, ita ipse consummationi nostræ finem impendat, ut habeat & ipse finis exitum, & ipsa consummatio consummationem: ut sit in omnibus ipsi semper esse quod est, sicut præsens loquitur Scriptura, cum dicit: *Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens*: hoc in principio revelationis suæ Sanctus Joannes scribit. Nunc aliud orditur initium, ut ad ipsum revelationis ordinem venire contendat. Referens, quam ob causam, quomodo, ubi, quo tempore, quo die, universa quæ locutus est, à Domino fuerint demonstrata, quidve ei dixerit, qualemque conspexerit Dominum: multiplices quidem intellectus, sed brevibus verbis adseruit hæc. Sic initium sanctæ revelationis scribit, ut eos quibus loquebatur appellet dicens:

Ego Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno & patientia Jesu, fui in insula quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei, & testimonium Jesu Christi. Sicut relatores Ecclesiastici docuerunt, Claudii Cæsaris tempore, quando fames

Act. Ap.
11. v. 28.

illa invaluit quæ ab Agabo Propheta in Actibus Apostolorum annis decem venire nunciata est, ea tempestate idem Cæsar solita vanitate compulsus persecutionem indicit Ecclesiis. Quo in tempore, etiam Domini nostri Jesu Christi Apostolum Joannem mandat exilio mancipari. Quem deputatum in Pathmos insula etiam præsens comprobatur Scriptura. Nam & passiones quæ eo tempore gerebantur, Prophetam disposuisse, & participem se in tribulatione commemorat, & retributionem tribulationis regnum adjecit & pro suspiciendo Regno patientiam addidit, quum propter Jesum asserat profecisse. Deinde locum, quo translatus fuerat, manifestat, cum dicit: *Fui in insula, quæ appellatur Pathmos.* Propter quam causam fuerit damnatione multatus edisserit: *Propter verbum Dei, & testimonium Jesu.* Significans se propter prædicationem Evangelii, & fidei testimonium, quod de Domini nostri deitate populis prædicabat, tantis fuisse exiliis & tribulationibus deputatum. In qua insula dum degeret dixit: *Fui in spiritu in Dominica die.* Ductum se esse in spiritu loquitur, id est, in secretis Dei elevatum, ut quæ dicenda sunt videat: & in altitudine cælorum non se corpore dicit ingressum, sed spiritu intromissum: memor illius verbi:

Ad Eph.
4. v. 9.

Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. Nam & Sanctus Paulus Apostolus dicit se raptum. Sed quomodo? ait:

2. Cor.
12. v. 2.

Sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit: tamen se in extasin spiritu raptum fuisse describit. Sed hic quia Dominica dies inducitur, quando in spiritu fuisse dicit; omni se communis actionis occupatione purgatum fuisse commemorat: quia in Dominica die Apostolus divinis tantum rebus & sacris

cris poterat officiis inhaerere, quia in ipso die resurrectionem Domini cognoverat esse, quem etiam & in prima creatione mundi primum diem didicerat praedicare. In ipso quoque januis clausis ad discipulos ingressum, cum putabant se spiritum videre, cum audissent à Domino: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, adjecit: *Accipite Spiritum Sanctum*. In eo die acceperunt Sancti Apostoli Spiritum, per quem peccata dimitterentur, & filios Dei facerent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur. Die autem quinquagesimo, quod est ipsa dies Dominica, eis amplius datus est, quo baptizarentur in Spiritu Sancto, & induerentur virtutem, per quam Christi Evangelium cunctis gentibus praedicarent. Et profectus Apostolicus est, ut qui primum remittendorum peccatorum gratiam acceperant, postea acciperent & operationem virtutum, & quod magis necessarium erat, diversitatem linguarum, unversarumque gentium, ut nunciaturi Christum, nullo egerent interprete. Ego autem audaciter & tota libertate pronuncio: Ex eo tempore quo Apostoli Domino crediderunt, semper eos habuisse Spiritum Sanctum. Nec poterant significare, (1) absque Spiritus Sancti gratia. Sed quia spiritus totus erat in Domino, necdum totus in Apostolis morabatur. Postquam autem eis Sancti Spiritus gratia infunditur, judicum tribunalia, & Regum purpuras non timebant. Tunc libere loquuntur ad Principes Judaeorum: *Obedire magis Deo oportet, quam hominibus*: mortuos suscitant, inter flagella laetantur: fundunt sanguinem, & suis suppliciis coronantur. Pentecostes enim dies hinc cœpit exordium, quando Dei

Luc. 24.
v. 39,

Actor. 5.
v. 29.

VOX

(1) Significare, id est, signa facere.

vox in Sina monte desuper intonantis audita est. In
 novo Testamento Pentecostes cœpit, quando Spiritum
 Sanctum Apostolis dedit. In ipso enim die da-
 ta est lex Moysi. Manna de cœlo in eremo datur in
 ipso die. Proinde Dominicus nuncupatus: & à ter-
 renis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, ob
 hoc tantum divinis cultibus servire oportet, dantes
 scilicet diei huic reverentiam propter spem resurrec-
 tionis nostræ, quam habemus in illa. Nam sicut
 Dominus noster Jesus Christus tertia die resurrexit à
 mortuis, ita nos resurrecturos in novissimo sæculo in
 hoc die Dominico speramus. Unde etiam in eo die
 stantes oramus, quod est signum futuræ resurrec-
 tionis. Hoc agit universa Ecclesia, quæ in istius sæcu-
 li peregrinatione mortalitatis inventa est expectans in
 fine mundi, quod in Domini nostri Jesu Christi cor-
 pore præmonstratum est, qui est primogenitus à mor-
 tuis. Sabbatum autem datum est priori populo in
 initio corporaliter celebrandum, ut figura esset, &
 inde requies interpretatur, quia ante adventum Re-
 demptoris nostri Christi requies erat mortuorum, &
 resurrectio nullorum erat; & merito, ut Dominus,
 in quo olim requieverat ab opere faciendo, in eo
 etiam requiesceret in sepulcro. Dies tamen Dominicus,
 non Judæis, sed Christianis, per Domini resurrectionem
 declaratus est. Ipse est feriat. Ipse dies primus,
 qui post septimum reperitur octavus. In eo die Apos-
 tolus cælestia penetravit, in qua Dominum cognoverat
 tanta facere. In eo die per Moysen legem dedit, in qua
 resurrexit. Centum viginti annos vixit Moyses: ex eadem
 causa super centum viginti animas descendit Spiritus in
 Pentecosten. Concordat hæc festivitas Evangelii festivi-
 tati legis. Hoc fine & Moyses legislator, quem oportebat

bat

bat esse signatum, & cælatum usque ad adventum passionis ejus, velavit faciem suam, & sic est populo locutus, ostendens velata esse verba prædicationis Domini nostri Jesu Christi. Joannes ergo die Dominico vacans ad tribunal in spiritu rapitur, ut quod per legis litteram fuerat signatum, ipse qui signaverat, qui Agnus dicitur quasi occisus, reseraret: & quod per Moysen velaverat, per Christum revelaret, & Joanni revelata ostenderet. Quamobrem illud dicitur velatio, & istud revelatio. Modò ergo facies Moysi aperitur, & revelatur, scilicet proinde Apocalypsis revelatio dicitur. Hi sunt Scriptores sacrorum librorum divina inspiratione loquentes atque ob eruditionem nostram præcepta cælestia dispensantes. Auctor autem earundem Scripturarum Spiritus esse Sanctus creditur. Ipse enim scripsit qui per Prophetas suos scribenda dictavit. Explicit explanatio.

INCIPIT HISTORIA.

“**E**T audivi post me vocem magnam sicut tubæ
 ”dicentem mihi: Quæ vides scribe in libro, &
 ”mitte septem Ecclesiis, Epheso, Smirnæ, Perga-
 ”mo, Thiathiræ, Sardis, Philadelphia, & Laodiciæ.
 ”Et conversus vidi septem candelabra aurea, & in
 ”medio candelabrorum aureorum similem filio homi-
 ”nis, vestitum podère, & præcinctum ad mamillas
 ”zona aurea. Caput autem ejus & capilli erant albi,
 ”tamquam lana alba, & tamquam nix, & oculi ejus
 ”velut flamma ignis, & pedes ejus similes aurichal-
 ”co Libani, sicut in camino ardenti, & vox ejus
 ”sicut vox aquarum multarum: & habebat in dexte-
 ”ra sua stellas septem: & de ore ejus gladius ex

Cap. 1.
v. 10.

„utraque parte acutus exibat : & facies ejus sicut sol
 „lucet in virtute sua. Et cum vidissem illum , cecidi
 „antes pedes ejus tamquam mortuus. Et posuit dex-
 „teram suam super me , dicens : Noli timere , ego
 „sum primus , & ego novissimus , & vivus , & fui
 „mortuus , & ecce sum vivens in sæcula sæculorum,
 „& habeo claves mortis , & inferorum. Scribe ergo
 „quæ vidisti , & quæ sunt , & quæ oportet fieri post
 „hæc. *Mysterium septem stellarum quas vidisti in*
 „*dextera mea , & septem candelabra aurea , septem*
 „*stellæ septem Angeli sunt septem Ecclesiarum , &*
 „*candelabra septem , septem Ecclesiæ sunt. Finit His-*
 „*toria.*”

INCIPIT EXPLANATIO EJUSDEM.

E*T* *audivi post me vocem magnam tamquam tubæ,*
dicentem mihi : Quod vides scribe in libro.

Isai. 58.
v. 1.
Ibi, cap.
30. v. 21.
 Scriptum est de prædicatoribus Evangelii : *Clama ne*
cesses , quasi tuba exalta vocem tuam ; & de hoc
 quod ait *post me* Propheta , dicit : *Audient ver-*
bum post tergum monentis. Omnis humanitas quam-
 vis sanctitatis altitudine subrigatur , divinis sanctio-
 nibus comparata , divinis vocibus adæquata , nequa-
 quam parilitatem præsentiae , aut vultus præstat intui-
 tu : sed quadam fragilitate naturæ depressa carnali-
 tas , quasi post tergum Dei sermonibus admonetur.
 Ergo quod *post me* ait , humilitatem suæ humanita-
 tis adsignat : *vocem magnam tamquam tubæ* , divina
 eloquia majori quodam sapientiæ sono , majori sanc-
 timonia , atque amplioribus resonantia intellectibus,
 docet. *Quod vides scribe in libro ;* & intelligitur , quia
 dum divinum auditur eloquium , dum impervia pene-
 tran-

trantur, non tantum panduntur oculi, sed & aures aperiuntur, ut abscondita videant, intellecta perspiciant, & quæ viderint, ut in libris exarentur, admonentur: de quo libro per Prophetam loquitur Dominus dicens: *Dabo leges meas in visceribus eorum, & in corda eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognoscite Dominum: Omnes enim cognoscent me à minimo usque ad maximum, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccatis eorum non ero memor amplius.* Hic est liber, in quo scribere Apostolus quæ viderat admonetur, audientium cordibus inculcare, vel in sua docetur sentire memoria. De quo libro beatissimus Magister Gentium dicit: *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus vestris, quæ cognoscitur & legitur ab omnibus.* Et quod scripserit Joannes, & quo dirigat, admonetur: *Mitte, ait, septem Ecclesiis.* Cum unam Ecclesiam in totius mundi ætatem, id est, ab illo quod dictum est tempore, usque ad consummationem sæculi esse jam diximus, nunc quid specialitè ipsarum Ecclesiarum nomina disserit, quid in se intelligentiæ habeat videamus. *Ephesum, ait, Smirnam, & Pergamum, & Thiathiram, & Sardis, & Philadelphiam, & Laodiciam.* Numquid in eisdem tantummodo urbibus perfectio Christianæ Religionis obtenta est, & non per universam terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba illorum? Sed est fortè in nominibus mysterium, quod discutientes, in quantum Deus dederit, disseramus. *Ephesus* verò dicit *voluntas, sive consilium meum.* Cognosci voluit, omnem fidei nostræ statum, & Ecclesiæ Catholicæ dignitatem, non humanis meritis adscribendum, sed vo-

Ferem.
31.v.33.

2. Cor. 3.
v. 2.

Psal. 18.

luntati Dei, & divinæ dispensationis esse propositi. *Smirna* autem dicit *canticum eorum*; & quid est aliud canticum perfectorum, nisi doctrina cælestis, & prædicatio Evangelii, & Christianæ profectus Religionis, vel Ecclesiæ Catholicæ canora confessio? *Pergamum* sonat, dividendi cornua eorum, sive aërearum potestatum importunitates, sive tumores hæreticorum, inflationesque docet potentium ab Ecclesiæ congregatione separari semper & dividi. Cornua enim, aut potestas, aut tumor est. Et *Thiathira* quod est inluminata, significat sanctam Ecclesiam post hæreticorum expulsionem, post potentium timores, post aëreas potestates, post tentamenta calcata, lumen meruisse justitiæ. *Sardis* est principium pulcritudinis, scilicet, ut Ecclesia percepto sole justitiæ, illustrata lumine veritatis, initium habeat pulcritudinis, Dominum Jesum Christum, quo eruente semper perpetuo florescet in lumine. *Filadelphia*, quod interpretatur *salvans*, hærentem Domino post perceptum solem justitiæ, post illuminationem sanctam, post sanctæ pulcritudinis decorem, pro merito adhærens Ecclesia Domino inviolabili se devotione & observatione custodit. *Laodicia* tribus amabilis Domini, velut quidam volunt, nativitas expectatur. Sed utrumque sonat, ut quæ pulcritudine fidei solem justitiæ meruit, & adhærere sibi Dominum per fidem agnovit, sit & ipsa amabilis Domini, tribusque à Domino diligatur, à Domino custodiatur, à Domino dirigatur, & expectet nativitatem suam, aut regenerationem baptismi, aut gloriam resurrectionis cum humilitate & patientia sustineat. His gradibus Ecclesiæ divisa sunt nomina. Nec incassum præfatarum urbium sunt conscripta vocabula. Nam qui omni mundo loquebatur, cur tantum septem Ecclesiis

referatur scribere? Hoc est quod intelligere eum, cum quo loquebatur, Dominus voluit in cælesti Sacramento mysterium: His septem electis nominibus totius mundi Ecclesiam contineri, ut & mysticum numerum, & totius Ecclesiæ patefaciat dignitatem. *Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Humana fragilitas divinis eruditionibus roborata, convertit faciem suam: Et non ait, ut viderem faciem ejus, qui loquebatur mecum; sed, ut viderem vocem, id est, ut mysterium intelligerem vocis. Ideò enim Sacramentorum mysteria conspiciuntur, non facies contemplatur.

Et conversus vidi septem candelabra aurea. Cumque sacramentum vocis intellexissem, post ipsam primam conversationis faciem, aurea septem candelabra conspexi. Candelabrum enim tribus innitens brachiis universitatem corporis attollit, quod corpus superpositum lucernam sustinet lucis. *Et fundamentum aliud nemo potest ponere, dicit Apostolus, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ex quo totum corpus compactum & conglutinatum per omnem juncturam subministrationis, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate secundum operationem & mensuram uniuscujusque membri.*

Hæc est enim illa virga de qua dicitur: *Exiet virga de radice Jesse.* Super hanc virgam lucerna componetur, id est, Catholicæ lumen Ecclesiæ præparatur, ut lucis illius veritate percepta, lucem producat ipsam perpetuam, & unius fidei manifestatione compacta, sit lumine divinæ majestatis accensa. Nam quod ait *septem*, ut septiformem Spiritus Sancti gratiam capiat, quæ in ista mundi hebdomada persistat. Quod verò dicit *aurea*, vel robor fidei significat sanguine Christi Jesu coloratum, vel fidem in

1. Cor. 3.
v. 11.

Ephes. 4.
v. 16.

Isai. 11.
v. 1.

Ecclesia martyrum, qui rubicundo sanguine intincti sunt. *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podère.* Similem dicit post mortem devictam, cum ascendisset in cælos, adunato & isto corpore cum spiritu gloriæ suæ, cum accepit à Patre potestatem. Quasi filium hominis ambulantem in medio candelabrorum aureorum, sicut in Salomone dicit: *Inter semitas Justorum ambulabo.* Cujus antiquitas est immortalitas, majestatis origo. Ipsa septem candelabra aurea septem Ecclesiæ sunt, quæ in ejus membris conjunctæ unum corpus faciunt. Nam habitum filii hominis, id est, poderem, quem dixit, Ecclesiam quam indutus est descripsit. Sive autem filius hominis, sive septem candelabra aurea, sive septem stellæ, hoc totum una Ecclesia est, quæ septem membris unum corpus facit: ut sicut unus homo septem membrorum officiis constare cognoscitur, id est, oculis, auribus, naribus, ore, tactu, manibus, & pedibus; septem diximus diversa officia, sed unum corpus. Sed propter allegorizandum dividit genus in species: ita ut etiam in aliquibus speciebus genus apertè expressum sit: in aliquibus enim propter nimiam minuciam, & eloquii divini altitudinem, liquido genus ostendere non possumus, quod facilius videri, quam dici potest. Dividit autem genus in partes hoc modo, ut arca Noe, ita & Ecclesia. Arca enim in inferioribus ampla fuit, & in superioribus angusta. Quia & illi qui intra Ecclesiam amplam viam & spaciosam secantur, non homines, sed bestię nuncupantur, quæ animalia immunda bina & bina dicuntur. Homines tamen & aves in superioribus commorantur. Homines dicit ratione capaces; aves hoc loco, qui in contemplatione fidei stant, intelliguntur. Et sicut octo animæ quæ in-

Prov. 8.
v. 20.

intra arcam sunt, & bestiae & aves in una arca salvari creduntur; ita in Ecclesia, ut illud propheticum: *Et tu homo Juda, & qui habitatis Jerusalem judicate inter me & vineam*, cum Jerusalem, & homo, & vinea unum sit, quod est Ecclesia: sic enim conclusit dicens: *Vinea Domini Sabaoth domus est Israel*; & in domo magna, quæ est Ecclesia, vasa aurea & argentea, cum eadem vasa sint domus Dei. Et iterum: *Exite de medio ejus qui fertis vasa Domini*, cum qui ferunt ipsi sint vasa. Quod autem vasa Domini sacrificiis vel Sacramentis mysticis deputata, Rex quondam Babylonis de Jerusalem abstulisse, (1) pariterque cum captivis adduxisse, & suis usibus deputasse, miserante autem Deo post solutam captivitatem vasa illa ablata sunt, non con fracta, sed divinorum cultui mancipata; Rex Babylonis diabolus est, qui infelicem populum Judæorum captivitate vinctum, de Jerusalem, id est, de Ecclesia, in Babylonia, id est, confusione hæreticæ pravitatis, abduxit. Sed & pars vasorum, id est, Sacramentorum, ipsa Sacramenta sunt, quæ in Ecclesia geruntur. Quæ Rex Babylonis cum captivis asportavit. Sic & hodie in Ecclesia hæretici Sacerdotes nostra vasa in Babyloniâ, id est, in confusionem deportant. In primo autem nomen ipsum Christi quo se Christianos utique dicunt: asportant legem, Evangelium, Epistolam, Psalterium, baptismum, Amen, & Alleluja, Symbolum, & orationem Dominicam. Cum autem respectu Domini ignorantia confusionem relicta, populus ad Jerusalem, id est, visionem pacis, quæ est Ecclesia Dei vivi, duce Domino redire festinat; hæc vasa, id est, Sacramenta, secum deferens non im-

(1) *Lege abstulit, vel adde constat, aut quid simile.*

mutat, sed reportat, utique integra, nec confringet quasi in melius renovanda, sed ea templo restituet, usibusque divinis adcommodat: ita ut ea secum non perdita, sed etiam apud eos impios reservata fuisse, plebs restituta congaudeat. Nec delemus Evangelium, nec obliteramus Apostolum. Amen quoque, & Alleluja non commutamus. Baptisma non iteramus. Et ut supradictum est, in aliquibus speciebus genus apertum est: in aliquibus clausum, ut David ait: *Quis habitabit in tabernaculo Dei?* Spiritus respondit: *Innocens manibus, & mundo corde.* Cum aliud tabernaculum non sit Dei in terris, quam innocentes manibus & mundo corde; ita & nunc in septem candelabra describit Ecclesiam in filio hominis. *Vestitum*, inquit, *podere*, id est, talari tunica, id est, Sacerdotali. Poderes enim vestis est sacerdotalis, id est, caro Christi, quæ corrupta non est ad mortem, & habet per passionem sacerdotium apertissimè denotatum. Quia ipse est, ut ait Apostolus, *Princeps Pastorum.* De quo Doctor Gentium dicit: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Sicut per Zachariam dicitur: *Jesus Sacerdos magnus, filius Josedec, indutus erat vestibus sordidis.* Istius Jesu, magni Sacerdotis, fuit filius Sirach, & nepos Jesu, qui in Salomone scribitur. In sacerdotio autem, ut dictum est, tota Ecclesia est, quia non est natura humana super terram cujus naturam Christus non suscepisset.

Et præcinctum ad mamillas zona aurea; mamillæ Domini duo præcepta legis, & Evangelii sancta doctrina est, sicuti in Cantico legimus de Ecclesia, quæ ex gentibus futura erat, quod Testamenta necdum haberet: *Soror, inquit, nostra pusilla est, & ube-*

ra non sunt ei. Matri verò Ecclesiarum sic dicit: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli, qui pascuntur inter lilia.* Duo hinnuli gemelli, judaicus populus, & gentilis. Duo vero ubera, lex & Evangelium: in lege denunciatum est, in Evangelio demonstratum. Sive benedictionibus uberum Mariæ, quæ verè benedicta erant, quia eadem sancta virgo Domino potum lactis immulsit, unde illa mulier in Evangelio ait: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Sicut in Genesi dicitur: *Benedictionibus uberum & vulvæ.* Etiam hîc vulva ejusdem matris virginalis benedicitur, quæ nobis Christum Dominum edidit: de qua per Jeremiam dicitur: *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te.* Et iterum in Salomone: *Ubera tua similia botro.* Quia sicut supra dictum est, duo ubera, duo Testamenta: & duos hinnulos, duos populos, quod est Ecclesia. Potest autem & in hac specie genus videri, & in Testamentis Ecclesia intelligi, & Testamenta ex eo quod efficiunt, comparationem accipiunt: non enim Testamenta pascuntur, sed Ecclesia per Testamenta nutritur: aut Testamenta sanguinem fundunt, & non populi, qui ad vitem botri expressi sanguinem fundunt. Quia sicut ácini in botrum; ita in Christi corpore populi adunantur. Diversæ autem hujus tropi species frequenter in Scripturis deprehenduntur, ut factor ex eo quod facit, nomen accipiat. Sic è contrario diabolus & ministri ejus, mors & infernus dicti sunt, eo quod multis causa mortis & inferni sint. Sicut scriptum est: *Ubi est mors aculeus tuus?* Nam & ipse diabolus, qui dictus est mors, habet mortem, stagnum ignis, quod est mors secunda. Sic in

Cant. 4.
v. 5.Luc. 11.
v. 27.
Gen. 49.
v. 25.Jerem. 1.
v. 5.Cant. 7.
v. 7.1. Cor. 15
v. 55.

hoc libro legimus Evangelium æternum : cum qui per Evangelium vivunt , sint æterni ; fructus enim præceptorum æternus est , non præcepta. Non enim qui *Matth. 5.*
v. 41. *te angariaverit unum milliarium , vade cum illo alia duo* , æternum erit , sed qui se fatigaverit , ipse erit æternus. Sicut caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Pro operibus enim carnem credimus regnare , quæ non carnaliter vivit. Dicitur & hic de vasculo quod continet , per id quod continetur , ut *Psal. 22.*
v. 5. *calix tuus inebrians quam præclarus est.* Calix enim neminem inebriat , sed quod in calice continetur. Et , *Joan. 15.*
v. 19. *mundus vos odit* , pro eis dicit qui in mundo sunt. Et *dies mali sunt* , cum dies mali esse non possint ; sed homines sunt mali , qui in diebus sunt. In mamillis ergo Testamenta intelligimus , id est , Ecclesiam , quæ per Testamenta vivit. Sic Dominus in Evangelio semen , nunc præcepta , nunc homines manifestat : *Venit* , inquit , *inimicus* , & rapit quod in corde seminatum est , id est , præceptorum verba. In sequenti verò similitudine dixit Dominus : *Semen bonum hi sunt filii regni.* Hic non præceptum verbi , sed ipsos homines qui fiunt per semen præcepti. Quod verò dicit : *Præcinctum ad mamillas* , præcinctio ista passionis indicium est , de qua Dominus loquitur Petro : *Cum senueris alius te præcinctet* , & *ducet quo tu non vis.* Zona aurea virtus ejus est sempiterna sanguine Dominicæ passionis adspersa. Zonæ hujus varietas virtutum diversitas , & numerosorum mirabilium est una potentia. Zona aurea chorus est Sanctorum , ut aurum igne probatum. Zona , qua dicitur accinctus pectori , conflata conscientia , & purus spiritualis sensus , ita traditus est Ecclesiis , eo quod hinc inde legem & Evangelium ,
 ju-

judaicum, & gentilem populum, in unum constrin-
 git. *Caput autem ejus, & capilli erant albi, tam-*
quam lana alba, aut tamquam nix. In capite candor
 ostenditur. Caput autem Christi Deus est. Ipse est
 candor propter nitorem puritatis ingenitæ, propter
 simplicem lucem unigeniti, propter simplicem Sancti
 fulgorem Spiritus, & justitiæ immaculatum decus. Caput
 Ecclesiæ Christus est. In capillis albis multitudinem alba-
 torum dicit. Lanæ, propter oves similavit: nivi propter
 innumerabilem turbam candidatorum de cælo datorum.
 Candor, non sine causa nuncupatur, quod lanæ albæ &
 nivibus comparatur, propter indulgentiam quam pecca-
 toribus indesinenter impendit. Sicut scriptum est: *Si*
 fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealba-
 buntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut la-
 na munda erunt. Ipsi enim sunt Jerusalem, quæ quoti-
 die de cælo descendit: Id est, de populo sancto nas-
 cuntur Sancti, imitando Sanctos, sicut bestia de
 abyso, quod est populus malus de populo malo. *Et*
 oculi ejus ut flamma ignis. Oculos Domini dicit
 propter ineffabilem præscientiam judicantis. Propter
 inevitabile lumen oculorum flamma ignis non imme-
 rito nuncupatur: scriptum est enim, quod *Deus nos-*
 ter ignis consumens est, id est, aliquando judicans,
 & interiora perscrutans. Oculi Ecclesiæ aliquando
 præcepta scripturarum Dei sunt: aliquando verò Spi-
 ritus Sanctus. In oculis præceptum Domini intelli-
 gimus, eo quod lumen est ignorantibus, sicut scrip-
 tum est. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Et
 iterum: *Præceptum Domini lucidum illuminans ocu-*
 los. Quod autem ipsa præcepta sint ignis, in Pro-
 pheta de Joseph, qui corpus Domini præfigurabat,
 dictum est: *Eloquium Domini ignivit eum.* Quod

Isai. 1.
v. 18.

Hebr. 12
v. 29.

Psal. 18.
v. 105.
Psal. 18.
v. 9.

Ps. 104.
v. 19.

autem ait ut *flamma ignis*, eo quod incredulis in die iudicii ipsa præcepta incendium erunt. Recte ergo præcepta Dei oculi ut flamma ignis sunt, quæ credentibus lumen ministrant, incredulis ignem præparant. Spiritum verò Sanctum oculos intelligimus, quia per ipsum legem & Evangelium interpretamus, sicut scriptum est: *Palpebra ejus interrogat filios hominum*: palpebris apertis videmus: clausis verò in tenebris sumus. Cum verò aliquid de Scripturis obscurum intelligimus, quasi in tenebris palpebras aperi-
 mus. Quod verò minimè intelligimus, quasi in tenebris palpebras Domini clausas habemus; & nisi Spiritus Sanctus intus sit qui doceat, doctoris lingua in vacuum laborat. Et ipse *Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut ait Apostolus, eo quod nos gemere facit, ut semper petamus. *Et pedes ejus similes aurichalco Libani, sicut in camino ardenti*. Pedes Domini dicimus humanam substantiam, quam pro nostra assumpsit salute: unde & *misericors* dicitur & *miserator*. Sicut enim aurichalcum in fornace rutilans nullis extrinsecus scatebris, nullis rubiginibus occupatur; ita sincerissima & perfectissima adsumpti hominis caro à deitate subcepta in deitate manens, absque humanæ vitio naturæ, absque parentis culpa persistit. Hi pedes pacem annunciant, & prædicant salutem: pacem Angelis & hominibus: pacem judaici populi, & gentilis. Ipse est *qui fecit utraque unum*, ut sit omnia in omnibus, salus mundi, & Rex omni creaturæ. Pedes verò Ecclesiae ignitos, novissimi temporis nimietate pressurarum dicit ignitos. Pedes enim novissima pars est corporis, sicut lapis de monte præcisus, ad pedes percutit corpus regnorum mundi. Aurichalco enim illam rationem

Psal. 10.
v. 5.

Rom. 8.
v. 26.

Ephes. 2.
v. 14.

similavit, quod ex aere fiat. Et igne multo & medicamine perducatur ad aureum colorem. Quod verò aurichalco Libani similavit, non sine ratione est. Libanus enim mons est in Judæa. Et significat per Libanum candorem baptismi. Judæa verò confessio dicitur: Christiani & Confessores Ecclesia nuncupantur. Exinde ostenditur, quod in Judæa, id est, inter fratres, Christi corpus ignitur præcipue novissimum in pedes, id est, in mundi finem: istum enim caminum in domo Dei esse, & illic fideles probari, ubi & Dominus crucifixus est, & pro nobis probatus; in Zacharia aperte idem Dominus loquitur, qui de plebe sua suarum similes passionum exigit dum partem argenti numerum, id est, pretium suæ mortis accepit, & in fornace, id est, in domo sua, id est, sua gente, ad probationem veri præcepit igniri. Sicut legimus: *Et dicam, inquit, ad illos: Si bonum est in conspectu vestro date, statuentes mercedem meam, aut si non, discedite. Et statuerunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit ad me: Projice illos in conflatorium, & inspice, si probatum est, quemadmodum probatus sum pro eis. Et accepi triginta argenteos, & deposui illos in domum Domini ad conflatorium. Et iterum: Ego recipiam vos in medium Jerusalem, sicut recipitur argentum, & aurum, ærumentum, & ferrum, stagnum, & plumbum, in medio camino ad insufflandum illum ignem, ut conflatur, ita recipiam vos in ira mea, & congregabo & conflabo vos, & insufflabo insufflationem igni iræ meæ, & conflabimini in medio ejus. In hoc libro nihil aliud invenies, nisi bella, & incendia, tribulationes magnas, & pressuras intra Ecclesiam, quæ Deus per Christum suum revelare Ecclesiæ suæ dignatus est, cavendo fugiendoque facinoris mys-*

Zachar.
11. v. 12.
& 13.

Ezech.
22. v. 19.

Ephes. 6. teria, id est, *spiritualia nequitiae in caelestibus*, hoc
v. 12. est, intra Ecclesiam: magis ut imminente tribulationis
 discessione, sciret populus Dei quod qui tanta & talia
 per tot annos sustineat, etiam si minus intellexerit, spi-
 ritu tamen Dei gubernante per singulos dies mala vi-
 taverit, & æquanimitè & patienter pressuras supporta-
 verit, tamquam aurum in fornace probatus erit.

Et vox ejus sicut vox aquarum multarum. In
 voce Ecclesiam ostendit. Aquæ hoc loco duobus mo-
 dis intelliguntur: id est, populi, & doctrina cæles-
 tis: populi verò sunt, sicut in hoc libro legimus:

Infra 17. *Aquæ, inquit, quas vidisti, super quas meretrix*
v. 15. *sedet, cum qua fornicati sunt Reges terræ, quod*
sunt populi & nationes. Hic verò aquæ, quæ vox
 Domini nuncupantur, Sancti Domini intelliguntur.

Prædicatores fidei & doctores gentium, qui doctri-
 næ Christi magnitudine & vocis elegantia, ac præ-
 ceptorum sancta dulcedine Scripturarum resonantium,
 aquarum multitudini comparantur. De quibus aquis
 scriptum est: *A multitudine sonitus aquarum vocem*
v. 18. *dederunt nubes.* Ergo hanc aquam Sanctos Doctores,
 & Sacerdotes intra Ecclesiam, & divina imperia, &
 sacram sanctionem legis & Evangelii accipimus. Hi
 sunt nubes, qui hanc doctrinam cælestem terræ si-
 tienti, id est, populo ignaro, infundunt: de qui-
 bus sapientissimus ille dicit: *Si repletæ fuerint nu-*

Eccles. *bes, aquam super terram effundunt:* id est, si di-
x. v. 3. *divina doctores verba susceperint, populis profecto dis-*
 pensant. *Et habebat in dextera manu sua stellas sep-*
tem. Dexteram manum Dei filium dicimus: dextera
 enim alio modo illius multitudo Sanctorum: de qua

scriptum est: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.*
Sap. 3. Quod verò septem stellas nominat, significat sine du-
v. 1. bio

bio tempora ab exordio mundi, & hanc hebdomadam septem dierum, per quam mundus iste deducitur, Sancti qui à prima origine mundi usque ad mortis consummationem, qui fuerunt, & qui sunt, & qui adhuc futuri esse creduntur, in Dei & in Domini nostri dextera persistere. Hæc est spiritualis Ecclesia, cui adstanti ad dexteram, dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Septem autem stellas, omnes omnino Sanctos accipimus. Hi sunt septem Ecclesiæ, quæ in septiformi gratia Spiritus juncta, Ecclesia una nominatur. *Et ex ore ejus gladius ex utraque parte acutus procedens.* Si de capite procedit iste gladius, utique & de corpore. Per gladium bis acutum de ore ejus emicantem ostenditur, ipsum esse qui nunc Evangelii bona, & primum per Moysen legis notitiam, universo orbi protulit. De quo gladio Apostolus dicit: *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Et alibi: *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, attingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & est discretor cogitationum & intentionum cordis.* Gladium ergo Dei verba legis ejus, & imperia, & eruditio, creditur esse divina. Sed quia ex eodem verbo omne genus humanum, tam novi, quam veteris Testamenti, vindicaturus est; idè bis acutus dicitur, & hinc inde acuitur, ut fideles armet, & interficiat infideles. Gladius enim militem armat: gladius hostem interficit: gladius desertorem punit: & ut ostenderet Apostolis, quia iudicium adnunciavit, ait: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Et postquam consummaverat parabolas, ait ad illos: *Intellexistis hæc omnia? Et dixerunt: Ita.*

Matth.
25.v.34.

Ephes.6.
v. 17.
Hebr. 4.
v. 12.

Matth.
10.v.34.
Cap. 13.
v. 51.

Et

Et adjecit : *Propterea omnis scriba doctus in Regno Dei, similis est Patrifamilias proferenti de thesauro suo nova & vetera.* Nova, Evangelica verba : vetera, legis & Prophetarum. Et hæc de ore suo processisse, & Petro ait : *Vade ad mare, & mitte hamum, & primum piscem qui ascenderit, aperto ore ejus inveniens staterem, id est, duos denarios, dabis pro me, & te.* Et David similiter per Spiritum ait : *Semel locutus est Deus, duo hæc audiivi, quia semel decrevit ab initio Dominus, quod usque ad finem futurum est. Denique cum Judex sit ipse à Patre constitutus, volens ostendere, quoniam verbo prædicationis judicabuntur omnes, ait : Putatis quia ego vos judicabo? Sed verbum quod vobis locutus sum, illud vos judicabit.* Gladius ex ore ejus, semen est verbi, sicut per Job dicitur : *Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.* More sacri eloquii serere dicimus, verba vitæ prædicare. Et Propheta ait : *Beati qui seminatis super omnes aquas.* Sanctos quippe Ecclesiæ prædicatores super omnes aquas seminare conspexit, qui cunctis late populis vitæ verba quasi cælestis panis grana tradiderunt. Comedere autem est bonis operibus satiari, ut Dominus ait : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Si ergo ea quæ pertulit, facere prætermisit, ait : *Seram, & alius comedat : acsi aperte dicat : Quod os meum loquitur, non ego sed alter operetur.* Prædicator quippe qui à suis vocibus moribus discrepat, jejunos serit, quod alius manducat, quia suo semine ipse non pascitur, quando à verbis vitæ rectitudine per pravam actionem vacatur. Et quia plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex Magistri vita per operum exempla destruuntur;

tur ; recte jungitur : *Et progenies mea eradicetur.* Doctoris enim progenies eradicatur , quando ii qui per verbum nascuntur , per exemplum necantur , quia quos lingua vigilans gignit , vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum quod apud Salomonem mulier filium quem vigilans lactare consueverat , dormiens interemit. Quia nimirum Ma-
 gistri vigilantes quidem scientia , sed vita dormientes , auditores suos , quos per vigilias prædicationis nutriunt , dum quod dicunt facere negligunt , per somnum torporis occidunt. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt , & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt , alienos sibi adtrahere conantur , quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt , apud iudicium hominum excusent quæ male agunt , & quasi per subditorum vitam , mortiferam tegant negligentiam : unde illic mulier filium quia extinxit proprium , quæsivit sibi alienum. Sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit. Quia videlicet , cuius fructus vivat , vel cuius intreat , extremo examine ira districti iudicis examinat. Ubi & illud solerter intuendum , quod vivens filius prius dividi præcipitur , ut soli postmodum matri reddatur : quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli , dum ex illa nonnumquam alter apud Deum meritum , alter verò apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit , occidi non metuit : quia arrogantes magistri , & caritatis ignari , si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeant , eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi , nolunt alios vivere , quos se conspiciunt non posse possidere. Unde illic perversa mulier clamat , *nec meus sit , nec istius.* Ut enim di-

3. Reg. 3.
v. 19.

ximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut filius ejus saltem apud extraneam sit, & vivat: quia concedunt veraces magistri, ut eorum discipulis, alii quidem magistri laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magisterium in examine caritatis adprobatur. Et sola tantum recipere meruit, quem quasi totum concessit: quia fideles præpositi, pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant; ipsi & integros & viventes filios recipiunt, quando in extremo examine ex eorum perfecta vita retributionis gaudia consequuntur. Hæc paucis per excessum diximus, ut auditorum progenies per doctorum negligentiam qualiter extinguitur monstrarem. Quia quisquis juxta hoc quod loquitur non vivit, quos verbo genuit à stabilitate rectitudinis opere evellit. Sed sicut, gladio Salomonis dividente, propriæ matris gemitu iste verus repertus est partus; ita & spiritu Jesu Christi docente, plerumque hi qui à matre seducti, & capti sunt errore hæreticorum, nonnumquam merentur pro semetipsis gementem recognoscere Ecclesiam matrem. Unde satis, convenienterque apparet, hanc mulierem hæreticorum, vel synagogæ, figurasse impietatem, quæ & suos nequiter nutriendo interimunt, & alienos quousque perdant alliciendo persuadent.

Et facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua. Mirus ordo membrorum, post pedes scribitur facies. Hic facies illius Soli comparatur. Indignum est enim, & satis humile, putare Christum descriptum discolori-

ribus membris, aut claritatem ejus Soli comparatam. Nam si de justis dicit: *Fulgebunt sicut Sol*; quam periculosum est dicere, quod pari claritate fulgeant justi cum Domino, cum ipse sit suorum claritas, & pro operum meritis unusquisque ab alio plus fulgeat, sicut scriptum est: *Stella ab stella differt in claritate*. De sua autem claritate Dominus in quantum scire possumus, dixit: *Sicut fulgur exit ab oriente, & patet usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis*. Tamen quod dicit facies ejus sicut Sol, apparitio illius fuit, quod loquutus est hominibus facie ad faciem. Solis autem gloria non potest comparari gloriæ Domini. Sed propter ortum Solis, & occasum, rursus ortum quod natus sit, & passus, & resurrexerit, ideo dedit similitudinem Scriptura, faciem ejus gloriam Solis. Ostendit enim post pedes ignitos, sicut Solis faciem lucere. Id est, post novissimi certaminis flammam in diem judicii manifestari Ecclesiæ claritatem, sicut Dominus collectis de regno ejus zizaniis manipulis peccatorum ad comburendum, tunc, inquit, justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui. Sicut enim Solis claritas quæ non ex se rutilat, sed composita Deo magistrante persistit, ubique radium sui splendoris immittit; ita facies Domini non ex aliquo accipiens, sed virtutis suæ potestate perlucida nihil habet absconditum, nihil obscurum. *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus*. Superius meminit conversum se, non ut speciem cerneret, sed ut vocem videret: hic introspectum omnem virtutem deitatis, & in quodam mentis excessu perductus, cecidi, inquit, ad pedes ejus quasi mortuus. Fragilitatis suæ & humilitatis & subjectionis pavore perterritus corruit, non in aliquam

Matth.
13.v.43.

1. Cor.
15.v.41.

Matth.
24.v.27.

declinans partem, sed ipsi se Domino humiliter fideliterque committens. Joannes, qui ista vidit, totius Ecclesiae figuram portavit: & non solum Joannes, sed & Prophetæ, & Apostoli, & omnes Sancti, qui Ecclesia nuncupantur, tamquam mortui humiliantur ante Dominum nostrum Jesum Christum. Duobus modis cadere dicitur, in faciem & retrò. Omnis enim qui Deum videt, in faciem cadit, & ubi cadat videt. Qui verò retrò cadit, proculdubio ubi cadat non videt. Joannes, qui Ecclesiae figuram portabat, in faciem cecidisse dicitur: & de Antichristo, qui malorum omnium membra portat, dictum est, ut cadat ascensor ejus retrò. Jacob ergo Patriarcha, cum benediceret filios suos, ait: *Dan judicabit populum suum, sicut alia tribus. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Dicunt Antichristum per hæc verba Jacob, qui per spiritum futura prævidebat, de tribu Dan esse futurum. Alii de Juda, à quo traditus est Christus, hæc scripta pronunciant: & equitem atque equum Dominum cum carne suscepta designare volunt: retrorsum autem cadere, ut in terram revertatur unde sumptus est. Et quia tertia die resurrexit, ideo per David dicit: *Non derelinques animam meam in infernum.* Hæc quidam ita exponunt. Alii verò hanc prophetiam ad Antichristum transferunt, & de tribu Dan venire Antichristum ferunt; pro eo quod in hoc loco Dan, & coluber, & cerastes asseritur, & mordens. Unde & non sine causa dum Israeliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad aquilonem castrametatus est: revera illum significans qui in corde suo dixerat: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquil-*

Gen. 49.
v. 19.

Psal. 15.
v. 10.

Isai. 14.
v. 13.

lonis, *similis ero altissimo*. De quo & per Prophetam dicitur: *A Dan auditus est fremitus equorum ejus*. Quando ergo corda doctorum præcipuorum tenet, montem testamenti diabolus præsidet. Qui etiam in lateribus aquilonis sedet, quia mentes hominum frigidas possidet. Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur. *Kerata* enim græce cornua dicuntur, serpensque hic cornutus esse perhibetur. Per quem digne adventus Antichristi adseritur, quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat, semitam angustiorem esse quam viam? Fit ergo coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudinem eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur. Sed in via mordet, quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit iterum cerastes in semita, quia quos fideles servos Dei in arcta & angusta via reperit, & se ad præcepta cælestia anhelantes, & angusta itinera gradientes conspicit, non solum nequitia callidæ persuasionis impellit, sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis tristitiam post beneficia simulata dulcedinis exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum significat, qui per elationem suam incursum labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi adprehendere conatur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere, ut cadat ascensor ejus retro. Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retro cadere dicitur, & non in faciem, sicut Moyses, Daniel, Paulus, & iste Joannes, de quo dicimus, cecidisse memorantur. In faciem enim cadere est in hac vita unumquemque suas culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere. Retro verò

quo non videtur cadere, est ex hac vita repente absque pœnitentia per subitanam mortem decidere, & ad quæ supplicia, vel pœnam ducatur, ignorare. Et quia Judæi erroris sui laqueis capti pro Christo Antichristum expectant, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce conversus est, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*; id est, non sicut infideles Antichristum, sed eum qui in redemptione nostra venturus est, verum credo fideliter Christum. Unde ergo perfecti viri magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora umquam vel in cogitatione, vel in opere cadant, quantum quotidie proficiant incessanter pensant. Inde ergo Joannes, qui Ecclesiam præfiguravit, humiliter Domino se committens, unde & Dominus devotione piissima miseretur: *Posuit*, ait, *dexteram manum suam super me, dicens: Noli timere*. Qualis autem consolatio videri potest ei, qui velut mortuus jacet, si audierit *Noli timere*? Hoc nulli ali dicere potest, nisi qui semetipsum quotidie in pœnitentiam mactat, & Domini vestigia sequendo crucem dominicam portat. Hic & fidem remunerat, & fidelem. Non incredulitate, sed admiratione perterritum corroborat. Timere ergo prohibens, qui ita dilexerat, ut ad contemplationem virtutis illius verteretur, & intuitum fidei suæ ad mortem Christi converteret, consolatur humilem, & dicit: *Ego sum primus, & ego novissimus, & vivens, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum*.

Si caritatis meæ igniculum percepisti, *caritas nunquam cadit*: expulso nunc timore, consurge, quem admiratus es recognosce. Primus ego sum, scilicet, ante omne initium, ante omnem creaturam. Priusquam terra fieret, ego sum: ipse principium, & novissimus, & in me finis omnium constat, quia per me universa in fine

1. Cor. 13
v. 8.

reparanda sunt. *Et vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens*, id est, absque defectione perdurans, qui mortem pro vestra salute suscepi: & ecce sum vivens in sæcula sæculorum: & ecce nunc sum in divina æternitate persistens. *Et habeo claves mortis, & inferni*. Id est, habes in me claves mortis tu qui es velut mortuus, quia una clavis est vitæ ac mortis, & quos male vivendo deponit ad inferos, bene vivendo per pœnitentiam relevat ad cælos. Et qui *noli timere* dicit, utique vitæ & mortis potestatem habet. Pro mortuo enim, id est, pro peccato baptizatur Ecclesia, per lavacrum & pœnitentiam, ut ait Apostolus: *Quid facient qui pro mortuis baptizantur, nisi & Christo consurrexerint?* Et iterum: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*. Istis ergo qui cum Christo per pœnitentiam resurgunt, dedit claves regni cælorum, sicut ipse ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt*. Hæc est clavis inferorum: hæc est etiam regni cælorum: quoniam qui habet potestatem dimissis peccatis revocandi ab inferis; ad regna cælorum imponit quos reduxerit, & ad inferos deponit quos retinendo peccata de cælo dejecerit. Et ita fit, ut una atque eadem sit clavis vitæ ac mortis. Et qui *ecce sum vivens* dixit, ait: *Habeo claves mortis, & inferni*, ut concludam, quando voluerim: & dum voluerim, rursus aperiam: & quæ morte conclusa sunt, in apertam lucem conversa per resurrectionem perducam. De quibus clavibus Isaias Propheta nos docet dicens: *Dabo claves domus David super humeros ejus, & aperiet, & non est qui claudat: Et claudet, & non erit qui aperiat*. Clavis enim & ipse Dominus Jesus Christus est, qui & vitæ januam patefecit, & mortis disruptit ingressum. *Scribe ergo quæ*

1. Cor. 15
v. 29.

Colos. 3.
v. 1.

Joan. 20.
v. 23.

Isai. 22.
v. 22.

vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Ecce manifestavit non se tantum loqui de presentibus, sed & de præteritis commemorare. Et futuros eum monet appetere, & in fine temporum nascituros pariter appellare.

Deinde etiam visionem quam demonstrat edisserit: *Sacramentum septem stellarum quod vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, septem stellæ, septem Angeli, septem Ecclesiæ sunt.* Hoc est quod paulo superius nominavimus stellas in dextera Dei sitas, animas Sanctorum esse, vel omnem congregationem ipsorum pariter beatorum, qui fuerunt, & qui futuri sunt usque ad consummationem mundi. Similiter etiam septem candelabra unam & veram Ecclesiam in hebdomada mundi istius constitutam, quam diximus Trinitatis fide roboratam, & cælestis mysterii sacramento firmatam. De Angelis verò quæstio vertitur, si plene non disseratur. Stellas dixit Angelos esse Ecclesiarum, & candelabra Ecclesias. Quod etiam ecclesiasticis viris bene notum est. Non septem, sed una Ecclesia septiformis est, id est, perfecta, sicut scriptum est: *Una est columba mea, una est perfecta mea.* Quod si una est, Angeli quoque non erunt septem. Quod si septem sunt; istæ solæ, quas specialiter nominavit, Angelos habent, ceteræ verò Ecclesiæ non habent? Quærendum præterea est quid sibi velint isti Angeli, quod unusquisque nostrum Angelum habeat officio deputatum, ut in Evangelio veritas protestatur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Si ab omni incursu protegendis servandisque nobis isti Angeli distributi adjunctique sunt; cur Apostolum Petrum proprius Angelus eruere non potuit, & alter ad liberandum eum missus est? Dicit enim: *In veri-*

Cant. 6.
v. 8.

Matth.
18.v.10.

tate scio, quia misit Dominus Angelum suum, & *Act. 12.*
eripuit me de manu Herodis. Et non solum missus est *v. 11.*
Angelus, sed revertitur, sicut scriptum est, utrique *pro-*
cesserunt vicum unum, & discessit ab eo Angelus.
Sed dicit aliquis: Angelus uniuscujusque qui deputatus est, mittitur ad liberandum. Dicat ergo &, quia si omnes Apostoli essent in carcere, duodecim Angeli mitterentur: nec alius alienum, sed proprius liberaret. Minus enim valet unus Angelus Domini Assyriorum castra percutere, ut liberaret universam Jerusalem? Aut Job Angelo sancto, & non ipsi diabolo commendatus est, ne aliquid amplius quam jussum erat pateretur? Si autem non protegendis liberandisque nobis, sed forte docendis, aut instruendis dati sunt, quid Spiritus Sanctus, de quo dicit Dominus, cum venerit *Joan. 14.*
ille omnia vos docebit? Quid etiam hic dicemus, minimos Dominus laudavit Angelos minimorum? Id est, minores homines, minores Angelos habent? An quo modo? Cujus merito dixit videre Angelos Dominum? Proprio, an hominum, qui custodes dati dicuntur? Si enim merito suo vident Angeli Dominum, non est quod ex hoc in laudem minorum Dominus protulerit. Sin verò merito nostro Angeli nostri vident Deum; ergo antequam hominibus adjungerentur, non videbant? An merita exigunt hominum, tales Angelos accipere, qui semper Deum vidissent, & viderent? Taceo quod impares merito sunt isti: potest, non quidem sine contradicentis periculo, dici, quod Angelum unusquisque *v. 26.*
pro modo suæ fidei, ac devotionis acceperit. Et quanto quis magnus fuerit, tanto Angelum videndo Deum digniorem ac priorem habebit. Quanto verò minor quis fuerit in devotione, tanto minorem Angelum secundum suæ devotionis meritum promeretur. Quid
fa-

faciunt, si creverit sanctitas, aut fides, demeritumque justorum minuerit? Ipsi permanent, an secundum fidem hominum, incrementa detrimentaque mutantur? Si enim Angeli non mutantur, homo ad tricesimum vel ad centesimum fructum crescendo in sanctitate conscendens, Angelum suum aut secum ducit, aut profectus in primo gradu reliquit? Quod si hæc puerilia & vulgaria est dicere, nec in divinis Scripturis fieri, aut à nobis sentiri licitum est; quærendum nobis est, quo laudis genere minimos extulit, dicens: *Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Potuit enim sublimius minora laudare, sicut alio loco laudavit, dicens: *Quandiu fecistis uni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis.* Non enim melius, aut sublimius, aut majoris laudis est hominis habere Angelum custodem, qui semper Deum videat, quam Christum fratrem, quem semper secum habet custodem, etiam & coheredem, cum & fratrem eum Christus dignatus est habere. Isto modo habet unusquisque Angelum. Numquid & vocem Angeli sui, aut Angelus hominis sui cui delegatus est, habet vocem, ut audita Petri voce diceretur non est Petrus, sed Angelus ejus est? Non potest fieri, ut talis suspicio (1) nocendi nobis det occasionem. Sed, quod mihi videtur, Angelus hominis anima ejus est, id est, homo interior (2), qui semper Deum puro corde contemplatur per fidem. Sicut Dominus dicit: *Non me videbitis, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini: id est, domini* nec

Matth.
18. v. 10.

Matth.
25. v. 40.

Luc. 13.
v. 35.

(1) In nos credatur esse. Ita Cod. Æmil.

(2) *Il rei, de qua sermo, accommoda: scil. ut cum dicitur Angelus Ecclesiæ N. scribe; per Angelum fidelis anima intelligatur.*

nec credatis, & crucem meam levetis, & me sequamini. Et ad Philippum ait: *Qui me videt, videt & Patrem.* Cum ergo dicit Angelum hominis, ipsum hominem significat. Sic Ecclesias & Angelos earum intelligas unum esse. Non solum mysterii, sed & consuetudinis est unam rem dividere in multas causas, ut dicimus homines Ecclesiæ, cum ipsi homines sint Ecclesia. Ipsi sunt Angeli, ipsi sunt stellæ, ipsi sunt candelabra. Hoc totum una Ecclesia est: sed propter sacramentum mysteriorum dividuntur per singula. Hinc Dominus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ergo alter videtur esse qui dicit, & altera anima, de qua dicit, cum ipsa anima dicat: *Tristis est anima mea*, & non dicat, *tristis sum*. Si ergo consuetudo est dicendi, & ita unionem partitur, multo magis mysterium sacramenti & obscurandæ rei gratia, ut quod dicit per mysterium, id est, occultum, allegoricè hoc intelligas. Allegoria est significantia cujuscumque rei, ut aliud sonet in verbis, aliud intelligas in mysteriis, id est, in secretis, & spiritualibus. Sicut per Isaiam dicitur: *Ecce facio nova, & nunc orientur, utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, & in invio flumina. Glorificabunt me bestię agri, dracones, & struthiones, sirenæ, & filiæ passerum. Quia dedi in deserto aquas, & flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo.* Quid enim est desertum, ubi Deus viam facit, aut quid locus aridus, ubi flumina facere promiserat, nisi gentes in quibus per Christum via vitæ patfacta est, & indeficiens aqua salutis effluxit? Quæ sunt etiam bestię, quæ benedicunt & glorificant Deum? quæ sunt sirenæ, & filiæ passerum? quod genus electorum potandum, nisi unum atque idem, quos supra nominavimus, qui Christum sequuntur per rectam fidem

Joan. 14.
v. 9.

Matth.
26.v.38.

Isai. 43.
v. 19.

& opera justitiæ? Ut sicut hoc per mysterium tractas, & unum esse intelligis; sic Angelum & Ecclesiam unum esse credas: sicut corpus & animam unum hominem dicis. Quod apud Græcos in hoc nulla quæstio esse videtur. Apud nos enim dubium est, utrum gentibus sit Angelus Ecclesiæ, an ducibus. Apud illos autem manifestum est, quoniam non Angelo hujus Ecclesiæ dixit, sed Angelo huic Ecclesiæ, id est, Episcopo civitatis, ut non tam Angelum & Ecclesiam videretur dixisse, quam quid sit Angelus exponere voluisse, dicens: τῷ Ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας ἐν ἐφέσω γραψόν. Quod est latinè: Angelo, id est, Ecclesiæ, quæ est Epheso scribe. Quod apud nos quoque in plurali numero potest discerni: ut puta, Angelis Ecclesiis, quæ sunt in Asiis scribe. Sic etiam in Psalmo dicit pro uno pluraliter: *In sole posuit tabernaculum suum in eis* (1). Quid sit in sole, exposuit dicens *in eis*. Cum sol & tabernaculum in eis unum sit. Nam & illud facit nobis quæstionem, quod & in initio libri non septem Angelis, sed septem Ecclesiis dixerit. Sic enim dicit: *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia: & Dominus dixit ei: Scribe in libro quæ videristi, & mitte septem Ecclesiis*. Postea tamen Angelis jubet scribere, ut ostenderet unum esse Angelos & Ecclesias. Angelus enim latinè *Nuncius* dicitur: Ecclesia convocatio, propter quod omnes ad se vocet ad pœnitentiam. Denique, Angelos jubet agere pœnitentiam? Non, sed Ecclesias. Ista autem septem candelabra unum candelabrum est septiforme. Hinc Dominus in Evangelio ait: *Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*. In modio, lucra temporalia dixit: In lucerna autem, lux prædicationis.

Psalm. 18.
v. 6.

Matth. 5.
v. 15.

(1) Ita vers. Hebr.

cationis accipitur. Candelabrum verò homines nuncupavit. Lucernam ergo sub modio ponere est propter temporale lucrum gratiam prædicationis abscondere, quod nemo utique servorum Dei facit; quia, ut diximus, candelabrum quilibet homo est. Cui lucerna superponitur, dum eidem cura prædicationis antefertur.

Hæc est propriè Angelus, & candelabra, id est, adnuntiatio prædicationis, & homo cui adnuntiatur. Alio enim loco legimus unum esse robur unde septem exierunt, sicut Dominus Moysi facere præcepit, & ponere in tabernaculo, ut semper arderet. Candelabrum autem illud septem ramorum, Spiritus Sancti gerebat imaginem: qui septiformi gratia illustrat Ecclesiam omnem in unitatem fidei consistentem. Sive hoc candelabrum Christum intelligimus, portantem septem Ecclesias, in quibus septiformis Spiritus Sancti splendor refulget. Huic candelabro fiunt & emunctoria, quæ in Isaia forcipes nuncupantur. Hæc sunt duo Testamenta, quibus peccata purgantur. Candelabrum autem extra velum testimonii, quod expansum est, ardere præcipitur, quia sine ullo veteris Testamenti velamine Spiritus Sancti jam veritas fulget. Oleum verò quod de arboribus olivarum sumendum Dominus præcepit, eandem gratiam Spiritus Sancti ostendit. Habent enim in se pacem & misericordiam per Salvatoris adventum, unde in cordibus nostris accenditur. Denique in singulis omnibus convenit, quia non dixit quod Spiritus Sanctus dicat Ecclesiæ, sed Ecclesiis. Non enim Ephesiorum Ecclesia sola erat, ut si ea non pœniteret, de loco suo moveret candelabrum; aut Smirnæ soli promittit, nihil timeas ex eis quæ passurus es; aut Pergamo, thronus est Sathanæ, sed tantum cum illa, & non ubique thronus est Sathanæ, ut si Pergamum non

Exod. 27
v. 20.

Exod. 25
v. 38.

Isai. 6.
v. 6.

poenituisse, oris gladio esset purgandum: aut Thiathiræ adulteris comminatur, & solùm hortatur tenere quod habet donec veniat: aut Sardis tantùm dicit: Si non vigilaveris, veniam ad te sicut fur, & nescis qua hora veniam: aut soli Philadelfiæ dedit ostium apertum, & soli promittit tutelam à tentatione, quæ ventura est tentare totum orbem terrarum: aut ex ore suo solos Laodicæ tepidos evomere comminatur: non utique in his tantùm locis fuit tunc Christi Ecclesia, sed in septenario numero omnis plenitudo consistit. Et, ut divini mysterii consuetudo est, in specie genus convenit, id est, per similitudinem, omnem causam comprehendit. Nam & Apostolus Paulus ad septem Ecclesias scripsit: non iisdem quibus Joannes. Angelum ergo Ecclesiam dicit: in qua duas partes ostendit, dum unam laudat, alteram increpat. In consequentibus enim manifestatur, per easdem Ecclesias non eundem increpare quem laudat. Sicut Dominus in Evangelio omne præpositorum corpus, unum corpus dixit. Præpositi verò latinè speculatores dicuntur. Nam græcè *Episcopi* nominantur. *Episcopus* autem vocabulum inde ductum, quod ille qui super efficitur, super intendat, curam, scilicet, subditorum gerens. *Scopin* enim græcè, latinè intendere dicitur: id est, speculari, videre, intelligere quid fuit de præteritis, quid erit de futuris, quid debeat ordinare de præsentibus. Nam iste speculator præpositus est in Ecclesia dictus, eo quod discernat atque prospiciat singulorum populorum, infra se positorum, mores & vitam. Hunc servum Dominus in Evangelio redarguit, cum dicit: *Si dixerit malus ille servus in corde suo, moram facit venire Dominus meus: & subito venit Dominus hora qua ignorat: tunc dividet eum, & partem ejus ponet cum hypocritis.* Non quod per

Luc. 12.
v. 45.

par-

partes eum desecet, sed dividere dicitur, id est, à Sanctis segregare. Proinde ergo omnem Ecclesiam unum corpus dixit. Et Ecclesiae caput Christus est: & membra, omnis omnino populus, & oculus Ecclesiae Episcopus est. Proinde speculator dicitur. Et manus Ecclesiae Presbyter est, id est, Senior, qui etiam cum Episcopo in honore penè conjunctus, consors mysteriorum corporis Christi & sanguinis est. Manus dicitur, quia per ipsos Episcopi per omnes Ecclesias, quod est omnis populus, operam sanctitatis exercent. Pes Ecclesiae Diaconus est. Pes dictus est, quia utique Sacerdotes per ipsos ministerium sanctitatis discurrunt. Quos abscondere præceptum est, si scandalum Ecclesiae operantur, sicut veritas in Evangelio protestatur: *Si oculus, manus, pes, scandalizant te, evelle, absconde, & projice abs te.* Quem veniens Dominus ipse dividet, & non totum servum, sed partem ejus cum hypocritis ponet. Partem dixit, quia per ipsos baptizati sunt, etiam intra Ecclesiam recta operari videntur. Incipiens ergo à principio libri usque in finem, bella intestina, id est, pugnam intra Ecclesiam, & septiformis Ecclesiae membra in præsentibus diversa opera, & quæ oportet fieri post hæc, demonstrare futura; non dixit, scribe quæ sunt, aut quæ fuerunt, sed quæ oportet fieri. Ostendit usque in messis maturitatem, zizaniam crescere, & laboratoribus præcepit bestias & aves abigere. In his ergo septem Ecclesiis, quod est una Ecclesia, hæc quæ diximus possunt fieri. Sed & per qualitatem fidei & dilectionis ad septem scribitur. I. Aut ad eos scripsit, qui & lobórant in sæculo, & operantur de fragilitate laborum suorum, & patientes sunt. Et cum videant homines isti, quos diximus, aliquos in Ecclesiam largos & dispensatores, sed tamen pestiferos; ne despe-

Matth. 5.
v. 29.

ratio fiat, portant eos in quantum valent: admonet tamen eos in Ephesi prima Ecclesia, de caritate & amore, ut illi qui plus patientes sunt, eos in quibus fides deest, amando & castigando corripiant, ut agant pœnitentiam. II. Aut ad eos qui locis crudelibus inhabitant inter persecutores & malos, per Smirnam Ecclesiam admonet, ut subportent, & perseverent esse fideles. Ipsis dicit, *nihil timeas ex eis quæ passurus es*. III. Aut ad eos qui sub prætextu misericordiæ illicita peccata in Ecclesia faciunt, & aliis facienda ostendunt: ipsis per Pergamum Ecclesiam dicit: *Thronus es Sathanæ*. IV. Aut ad eos qui sunt in Ecclesia leves: pro ipsis dicit per Thiathiram Ecclesiam, *habeo adversus te multa, quia permittis mulierem Jezabel, quæ seducit servos meos fornicari*. V. Aut ad eos qui negligentes sunt in Ecclesia, & non vigilant pro salute animarum suarum, & sunt tepidi, & pigri, & nomine tantùm Christiani sunt: pro ipsis dicit per Sardis Ecclesiam, *si non vigilaveris, veniam ad te sicut fur, & nescis qua hora veniam*. VI. Aut ad eos qui humiliter instructi, id est, rustici sunt in Scripturis, nihil sentiunt, sed simplices sunt, & fidem fortiter tenent: ipsis per Philadelphiam Ecclesiam Dominus tutelam promittit tentationis quæ ventura est. VII. Aut ad eos qui student in Scripturis, & laborant cognoscere arcana, id est, occulta Scripturarum, & Dei opus facere nolunt, id est, misericordiam, & amorem. Omnibus his pœnitentiam adnuntiat.

Et in prima quidem epistola ait: *Scio laborem tuum, & opera, & patientiam tuam*, id est, scio te laborare, & operari: video patientiam tuam; sed ne putes me longè morari à te: *& quia non potes portare malos, & qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt,*

sunt, invenisti eos mendaces, & patientiam habes propter nomen meum. Hæc universa ad laudem non mediocrem. Sed tales viros, & talem classem, talesque electionis homines, oportet omnimodo admonere, ne istis sibi bonis concessis fraudentur. Pauca dixit se habere adversus eos. Et *caritatem tuam*, inquit, *pristinam reliquisti: memento unde cecideris*. Qui cadit, de alto cadit: idè dixit *unde*, quoniam omnimodo usque ad finem, amoris opera exercenda sunt, quod est principale mandatum. Denique nisi opera cum amore fiant, minatus est movere candelabrum de loco suo, id est, spargere plebem. Sic odio habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Odisse autem opera Nicolaitarum dicit, quæ & ipse oderat. Hoc ad laudem spectat. Nicolaitarum autem opera erant illo tempore ficti homines & pæstiferi sub nomine Nicolai ministri. Fecerunt sibi hæresim, ut delibatum, id est, immolaticium, exorcizarent, ut manducare possint. Et quicumque fornicatus esset, octava die pacem acciperet. Idè conlaudat illos ad quos scribit, quibus talibus, & tam magnis viris promisit lignum quod est in paradiso Dei sui. Hoc est Ephesi Ecclesia. Sequens Epistola sequentem conversationem alterius classis, & consuetudinis dejecit. Denique ait: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam*, quia dives es. Scit enim apud se Dominus talibus divitias esse reconditas, & detractio- nem de Judæis quos negant esse Judæos; id est, confessores de synagoga Satanæ, quoniam ab Antichristo colliguntur, & diaboli congregatio fiunt, quibus ait: *Esto fidelis usque ad mortem, & qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, id est, non castigabitur in inferno. Hæc est Smirna Ecclesia. Tertia classis Sanctorum ostendit esse viros, qui fortes sunt in fide, &

Num. 24.
& 25.

non expavescunt persecutionem. Sed quia illi sunt qui proni sunt ad inlicitas permixtiones, ait: *Pugnabo cum illis gladio oris mei.* Nam quid præceperim dicam, & quid feceritis imputabo. Nam *Balaam doctrinam*, qui docebat *Balac mittere scandalum ante oculos filiorum Israel*, esse delibata (1), & fornicari olim, notum est. Ille enim hoc consilium dedit Regi Moabitarum, & scandalizaverunt populum. Sic inquit vos habetis talem doctrinam, & sub prætextu misericordiæ alios vitiatis. *Qui vicerit*, inquit, *dabo illi manna absconsum.* *Et dabo illi calculum album.* Manna absconsum immortalitas est. Gemma alba, adoptio in filio Dei. Novum nomen in calculo scriptum, Christianum est. Hæc est Pergami Ecclesia. Quarta classis nobilitatem fidelium operantium quotidie, & majora facientium opera significat. Sed & ibi esse quoque faciles homines ad inlicitas paces dandas, & novas prophetias attendendas ostendit, & arguit: & piè monet ceteros, quibus non placet hoc, qui cognoscunt nequitiam, adversam, quibus mali & doloris inducere quærit in capita fidelium pericula, & ad eos ait: *Non mitto super vos aliud pondus*, id est, non dedi observationes & onera, & novas prophetias, & inlicitas, quas non convenit Ecclesiæ (2), quod est aliud pondus; ut *quod habetis, tenetis*, id est, quod scriptum & rectum est, opere perficiatis, donec venio, dixit: *Et qui vicerit dabo illi potestatem super gentes*, id est, judicem illum constituam inter ceteros Sanctos: *& dabo illi stellam matutinam*, id est, primam resurrectionem, scilicet reposita, & quod est præsentis sæculo in pœnitentiam, au-

1) *Id est*, manducare delibata *Idolis.*

2) *Supple tenere, vel corrigere quæ non conveniunt.*

feram ab eo noctis ignorantiam. Stella matutina Christus est. Dabo illi, ait, stellam matutinam, quæ noctem fugat, & lucem annuntiat, id est, æterni diei initium. Quinta classis est collectio vel conversatio Sanctorum. Declarat homines negligentes, & aliud quàm quod oportet, in sæculo agentes operationes, nomine tantummodo Christianos. Et ideo hortatur illos, si quomodo reversi à negligentia possint salvi esse. *Esto vigilans*, inquit, & *confirma cetera, quæ moritura erant; non enim invenio opera tua plena coram Domino.* Non enim satis est arborem vivere, & fructum non habere. Sic nec satis est Christianum dici, Christum confiteri, & Christum in opere non habere, id est, ejus præcepta non facere. Sexta classis est conversatio electionis optimæ, consuetudo Sanctorum. Declarat homines, scilicet, qui humiles in sæculo, & rusticani in Scripturis, & fidem immobiliter tenent, nec omnino ullo casu vel periculo tumefacti, retrahuntur à fide. Et ideo ait ad illos: *Ecce dedi in te ostium apertum: & ait: Quoniam servasti verbum patientiæ meæ in tam parvis viribus, & ego te servabo ab hora tentationis; ut sciant ob hujusmodi gloriam suam, ne quidem in tentationem eos Dominus tradi permittit. Qui vicerit, inquit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Columna decor est ædificii, id est, qui perseveraverit, tantam nobilitatem in Ecclesia consequitur. VII. Hæc quoque collectio septem Ecclesiis declarat, homines locupletes credentes in dignitatibus conlocatos. Sed credentes ut locupletes, apud quos in cubiculo de Scripturis quidem tractatur. Foris autem licet sint de Ecclesia, tamen fideles animæ intelliguntur, scilicet, jactantes & dicentes, se omnia Scripturarum secreta cognoscere, & credere prædicta fiducialiter facere, opere autem va-

Cap. 3.

cantes; & idè ait ad illos: *Neque frigidus, neque ferventes esse*, id est, neque incredulos, neque fideles, quia cum fidelibus & infidelibus, ad omnes enim omnia sunt. Et quoniam qui nec frigidus, nec calidus, sed tepidus est, nauseam facit; ait ad illos: *Vomam te de ore meo*. Nausea quantum odibilis est neminem latet: sic & hujusmodi homines, cum à Sanctis in die iudicii fuerint projecti. Sed, quia in hoc mundo tempus est pœnitentiæ, ait: *Consilium do tibi, ut emas à me aurum igne probatum*; id est, si quo modo poteris pro nomine Domini pati tribulationes & passiones: *Et collyrio*, inquit, *inunge oculos tuos*; id est, ut quod libenter cognoscis per Scripturam, ò dives, hujus & opus facere coneris. Et, quoniam hujusmodi homines de magno peccato ad magnam redeunt pœnitentiam, non solum sibi utiles, sed multis prodesse possunt; non mediocrem mercedem eis promisit, id est, *sedere in solio iudicii sui*. *Explicit de filio hominis & Ecclesiis Liber primus in explanatione Apocalypsis Joannis Apostoli.*



INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI

DE ECCLESIA ET SYNAGOGA.

QUID CUJUS PROPRIE DICANTUR,

& quis in qua habitator esse dignoscatur,
plenissimè lector agnoscas.

Ecclesia græcum est, quod in latinum vertitur *convocatio*, propter quod omnes ad se vocet. Catholica, id est universalis, ex *κατά*, & *ἅλος*, id est, secundum totum. Non enim sicut conventicula hæreticorum,

rum, in aliquibus regionum partibus coarctatur, sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Quod etiam Apostolus adprobat ad Romanos dicens: *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiat in universo mundo.* Hinc & universitas ab uno cognominata est, propter quod in unitatem colligitur. Unde Dominus in Evangelio ait: *Qui mecum non colligit, spargit.* Cur autem Ecclesia cum una sit, à Joanne septem scribuntur; nisi ut una catholica septiformi plena spiritu designetur? Sicut & de Domino novimus dixisse Salomonem: *Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem,* quæ tamen septem una esse non dubitatur, dicente Apostolo: *Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Inchoavit autem Ecclesia à loco ubi venit de cælo Spiritus Sanctus, & implevit uno loco sedentes. Pro peregrinatione autem præsentis sæculi Ecclesia *Sion* dicitur, eo quod ab hujus peregrinationis longitudine posita promissionem rerum cælestium speculetur: & idcirco *Sion*, id est, speculatio, nomen accepit. Pro futura verò patriæ pace Jerusalem vocatur. Nam Jerusalem pacis visio interpretatur. Ibi enim absorta, id est, devorata omni adversitate, pacis, quæ est Christus, præsentiae possidebit obtutum. Continet autem Ecclesia hos: Christum, Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Clericos, Monachos, Fideles, & Religiosos. Et hæc Ecclesia cælum nominatur, in quo sol, luna, & stellæ quas supra diximus, virtutum suarum luminibus radiant. Nam Christus est à chrismate appellatus, hoc est, unctus. Præceptum enim fuerat Judæis, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possint hi qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Regibus

Rom. 1.
v. 8.

Matth.
12. v. 30.

Prov. 9.
v. 1.

1. Tim. 3.
v. 15.

indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis ; sic illis unctio sacri unguenti nomen ac potestatem regiam conferebat. Et inde Christus dictus à chrismate , quod est unctio. Nam chrisma græcè , latinè unctio nominatur. Quæ etiam Domino nomen accomodavit , facta spiritualis. Quia Sancto Spiritu unctus est à Deo Patre , ut ait in Apostolorum Actibus : *Collecti sunt enim in hac civitate adversus sanctum Filium tuum ; quem unxisti.* Non utique oleo visibili , sed gratiæ dono , quod visibili significatur unguento. Non est ergo Salvatoris proprium nomen Christus , sed communis nuncupatio potestatis. Dum enim dicitur Christus , commune dignitatis nomen est. Dum Jesus Christus , vocabulum Salvatoris. Christi autem nomen nusquam alibi omnino , nec in aliqua gente fuit , nisi tantùm in illo regno , ubi Christus prophetabatur , & unde venturus erat. Nam ipse Dei Patris unigenitus Filius , cum esset æqualis Patri , propter salutem nostram formam servi accepit , ut terrenis viam salutis ad cælum aperiret. Deus est & homo , quia verbum & caro ; unde & bis genitus dicitur : sive quia Pater eum genuit sine Matre in æternitate , sive quia Mater sine Patre in tempore. Unigenitus autem vocatur secundum divinitatis excellentiam , quia sine fratribus : Primogenitus secundum susceptionem hominis , in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est , quibus esset primogenitus. Messias hebraicè dicitur , græcè Christus , latinè unctus. Jesus hebraicè dicitur , græcè Soter , latinè Salvator interpretatur , quia ipse salvum faciet populum suum. Sicut enim Christus significat Regem , ita Jesus significat Salvatorem. Non itaque nos salvos facit quicumque Rex , sed Rex Salvator noster.

Angeli græcè vocantur , hebraicè dicuntur Malloth,

laoth, latinè verò Nuntii interpretantur, ab eo quod Domini voluntatem populis nuntiant. Angelorum autem vocabula, officii nomina sunt, non naturæ. Semper enim spiritus sunt; sed cum mittuntur, vocantur Angeli. Quibus ideo pictorum licentia pennas facit, ut celerem eorum in cuncta discursum significant. Sicut & juxta fabulas Poetarum, venti pennas habere dicuntur, propter velocitatem scilicet: unde & Sacra Scriptura dicit: *Qui ambulat super pennas ventorum.* Novem autem esse ordines Angelorum Sacræ Scripturæ testantur. Id est Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubim, & Seraphim. Quorum officiorum vocabula, cur ita distincta sunt, interpretando exequemur. Angeli vocantur propter quod de cælis ad annuntiandum hominibus mittuntur. Angelus enim græcè, latinè Nuntius dicitur. Archangeli græca lingua, summi Nuntii interpretantur. Qui enim parva vel minima annuntiant, Angeli sunt. Qui verò majora, Archangeli nuncupantur. Archangeli dicti, eo quod primatum teneant inter Angelos. *Arcos* enim græcè, latinè Princeps interpretatur. Sunt enim Duces & Principes, sub quorum ordine unicuique Angelorum officia deputata sunt. Sicut enim in terra sunt Duces & Principes, Tribuni & Centuriones, qui hominibus prælati sunt; ita Archangeli Angelis præsent. Zacharias Propheta testatur, dicens: *Ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur: & alius Angelus egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Jerusalem.* Si in ipsis enim officiis Angelorum nequaquam potestates majores minores mitterent, nullo modo hoc quod diceret homini Angelus ab Angelo cognovisset. Quidam autem Archangelorum pri-

Ps. 103.
v. 3.

Zachar.
2. v. 3.

vatis nominibus appellantur, ut per vocabula ipsa in opere quid valeant designentur. *Gabriel* hebraicè in linguam nostram vertitur *Fortitudo Dei* : ubi enim potentia divina vel fortitudo manifestabitur, *Gabriel* mittitur. Unde eo tempore, quo erat Dominus nasciturus & triumphaturus de mundo, *Gabriel* venit ad Mariam, ut illum annuntiaret, qui ad debellandas aereas potestates humilis venire dignatus est. *Michael* interpretatur *quis sicut Deus*. Quando enim aliquid in mundo miræ virtutis fit, hic Archangelus mittitur. Ex ipso opere nomen est ejus, quia nemo valet facere, quod facere potest Deus. *Raphael* interpretatur *curatio vel medicina Dei* : ubicumque enim curandi & medendi opus necessarium est, hic Archangelus à Deo mittitur, & inde medicina Dei vocatur. Unde & ad Tobiam idem Archangelus missus, oculis ejus curationem adhibuit, & cæcitate detersa, visum restituit : nominis enim interpretatio & Archangeli officium designatur. *Uriel* interpretatur *ignis Dei*, sicut legimus apparuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignem missum desuper, & implisse quod præceptum est. Throni autem, & Dominationes, & Principatus, & Potestates, & Virtutes, quibus universam cælestem societatem Apostolus complectitur, ordines Angelorum & dignitates, intelliguntur. Et pro hac ipsa distributione officiorum alii Throni, alii Dominationes, alii Principatus, alii Potestates dicuntur, pro certis dignitatibus, quibus invicem distinguuntur. Virtutes, angelica quædam ministeria perhibentur, per quas signa & miracula in mundo fiunt, propter quod & Virtutes dicuntur. Potestates sunt, quibus virtutes adversæ subjectæ sunt : & inde Potestatum nomine nuncupantur, quia maligni spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum mundo noceant, quantum

cupiunt. Principatus sunt hi, qui Angelorum agminibus præsumt, qui pro eo quod subditos Angelos ad ex-
plendum ministerium divinum disponunt, Principatus
vocabulum acceperunt. Nam alii sunt qui administrant,
alii qui adsistunt. Sicut per Danielem dicitur: *Millia Dan. 7.
millium ministrabant ei, & decies centena millia ad- v. 10.
sistebant illi.* Dominationes sunt ii qui etiam Virtuti-
bus & Principatibus præminent. Qui pro eo quod ce-
teris Angelorum agminibus dominantur, Dominationes
vocantur. Throni sunt agmina Angelorum, qui latino
eloquio *Sedes* dicuntur. Et vocati Throni, quia illis
conditor præsidet, & per eos judicia sua disponit. Cher-
ubim autem & ipsi sublimes cælorum potestates &
Angelica ministeria perhibentur, qui ex hebræo in lin-
guam nostram interpretantur *scientiæ magnitudo*. Sunt
enim sublimiora agmina Angelorum, pro eo quod vi-
cinius positi divina scientia ceteris amplius pleni sunt,
Cherubim, id est, plenitudo scientiæ appellantur. Ipsi
sunt duo illa animalia super propitiatorium arcæ, ficta
ex metallo, propter significandam Angelorum præsen-
tiam, in quorum medio ostenditur Deus. Seraphim quo-
que similiter multitudo est Angelorum, qui ex hebræo
in latinum *ardentes*, vel *incendentes* interpretantur:
qui idcirco ardentes vocantur, quia inter eos & Deum
nulli Angeli consistunt. Et ideò quanto vicinius coram
eo consistunt, tanto magis claritate divini luminis in-
flammanur. Unde & ipsi velant faciem & pedes seden-
tis in Throno Dei. Et idcirco cetera Angelorum turba
videre Dei essentiam plenè non valent, quoniam Se-
raphim eum tegunt. Hæc igitur vocabula agminum An-
gelorum, ita sunt specialia ordinum Angelorum, ut
tamen sint ex parte communia omnium. Nam dum
Throni sedes Dei in quorundam Angelorum ordine
spe-

Psol. 79.
v. 2. specialitèr designentur, tamen per Psalmistam : *Qui sedes super Cherubim* dicitur. Sed idè isti ordines Angelorum privatis nominibus appellantur, quia hoc ipsum officium in proprio ordine plenius acceperunt. Et cum sint omnibus communia, propriè tamen hæc munera suis ordinibus deputantur. Unicuique enim, sicut prædictum est, propria sunt officia injuncta, quæ promeruisse eos in mundi constat exordio. Quia Angeli & locis, & hominibus præsent, per Prophetam testatur Angelus, dicens : *Princeps Regni Persarum restitit mihi*. Unde apparet nullum esse locum cui Angeli non præsent. Præsent enim & auspiciis operum omnium. Hic est ordo, vel distinctio Angelorum, qui post lapsum malorum in cælesti vigore steterunt. Nam postquam apostatæ Angeli ceciderunt, ii perseverantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Unde & post cæli creationem in principio repetitur:

Gen. 1. *Fiat firmamentum: & vocatum est firmamentum cælum*. Nimirum ostendens, quod post ruinam Angelorum malorum ii qui remanserunt, firmitatem æternæ perseverantiæ consecuti sunt. Nullo jam lapsu aversi, nulla jam superbia cadentes, sed firmiter in Dei amore & contemplatione manentes, nihil aliud dulce habent, nisi eum à quo creati sunt. Quod autem duo Seraphim in Isaia leguntur, figuraliter veteris & novi Testamenti significationem ostendunt. Quod verò faciem & pedes Dei operiunt, quia præterita ante mundum, & futura post mundum, scire non possumus, sed media tantum eorum testimonio contemplamur. Singuli senas alas habent, quia de fabrica tantum mundi, quæ in sex diebus facta est, in præsentis sæculo novimus. Quod clamant ter *Sanctus* alter ad alterum, Trinitatis in una divinitate demonstrant mysterium.

Isai. 6.

Patriarcharum nomina nunc sciamus quid in suo vocabulo resonant. Nam plerique eorum ex causis propriis nomina acceperunt. Patriarchæ interpretantur *patrium Principes*, ex quibus Christus secundum carnem originem duxit. Abram primùm vocatus est Pater Judaici populi, propter Israel scilicet tantùm. Postea appellatus est Abraham, addita una littera, quod transfertur Pater multarum gentium, quod erat adhuc per fidem futurum. Gentium autem non habetur in nomine, sed subauditur, juxta illud: *Et erit nomen tuum Abraham, quia Patrem multarum gentium posui te.* Gen. 17. Isaac ex risu nomen accepit: riserat enim pater, quando ei promissus est, admirans in gaudio. Risit & mater, quando per tres viros illos promissus est, dubitans in gaudio. Ex hac ergo causa nomen accepit. Ergo Abraham Deum Patrem significavit, qui est auctor & origo hominum. Isaac Christum significavit, qui nobis gaudium cæleste fecit. Jacob *supplantator* interpretatur, sive quod in ortu plantam nascentis fratris apprehenderit, sive quod postea fratrem arte deceperit. Iste præfiguravit Ecclesiam, ex quo duodecim nati sunt Patriarchæ, quæ est Ecclesia in duodenario numero constituta: unde & duodecim Tribus Israel dicuntur. *Israel vir videns Deum.* Tunc enim hoc nomen Jacob Israel accepit, quando tota nocte luctatus vicit in certamine Angelum, & oriente lucifero benedictus est. Et inde propter visionem Dei, Israel appellatus est, sicut & ipse ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Gen. 32. v. 30. Ruben interpretatur *visionis filius*. Simeon interpretatur *auditio*. Judas *confessio* dicitur. Quando enim peperit eum Lia, laudem Domino retulit, dicens: *Modo super hoc confitebor Domino.* Gen. 29. v. 35. Et ob id vocatus est Judas. A confessione itaque no-

men ejus est dictum , quod est gratiarum actio. Hic est regalis successio , mirabilis prosapia , cui ducatus bellorum , & Israel traditur regnum , qui nomen gentibus ex suo nomine dedit : præpotens ut leo in regni virtute , & clarus in splendore regni potentia. Cujus quidem imperii posteritas non cessavit , quoad usque Christus

Gen. 49.
v. 9.

quasi *catulus leonis* ex germine ejus ascenderet , atque spes gentium ex regali procedens utero coruscaret. Et

Apoc. 5.
v. 5.

inde dictum est : *Vicit Leo de Tribu Juda* : unde & Judæi sortiti sunt nomen , quia Judas confessio dicitur : unde & nos confessoris nomen possidemus. Sicut & hypocritis dictum est , qui se dicunt Judæos esse & non

Gen. 30.

sunt. Isacar interpretatus est *merces*. Hoc autem ideò , quia Mandragoris filii Ruben , introitum viri , qui Racheli debebatur , ad se emerat Lia : comparavit Mandragoras , & conceptus est Isacar. Unde & dum natus

Vers. 18.

est , dixit Lia : *Dedit Deus mercedem meam*. De hac tribu natus est Judas Scariothes , qui Dominum vendidit , & de mercede pretii comparavit agrum de mercede iniquitatis suæ. Zabulon interpretatur *habitaculum*. Neptalin de conversione. Dan interpretatur *judicium*. Balla enim dum eum peperisset , dixit Rachel domina ejus : *Judicavit me Dominus , & exaudivit* , dicens : *Dedit mihi filium* , causam nominis expressit , ut ab eo quod judicasset Dominus , filio ancillæ judicii nomen imponeret. De hac tribu natus erit Antichristus de concubina , quia & in Ecclesia qui eum præfigurant jam multi Antichristi sunt. Et de concubina nati , id est , synagoga , quæ est nox ignorantia , qui sunt servi peccati. Levi sacerdotalis auctor originis , cum tribu Juda permixtione generis junctus , sed in Israel toto divisus , carens propriae sortis funiculo , & habitans in universis regnis fratrum. De hoc sunt Sacerdotes , quibus non

est licitum in terra possidere hereditatem, sed in toto Israel Apostolorum contenti esse paupertate. Judas & Levi, Rex & Sacerdos Christus interpretatur, qui fecit nos regnum, Sacerdotes Deo & Patri suo. Gath *ab adventu*, sive procinctu vocatus est. Aser *beatus* dicitur. Joseph *Salvator mundi* interpretatur, eo quod orbem terræ ab imminenti famis excidio liberavit. Benjamin interpretatur *filius dexteræ*, quod est virtutis. Manasses dicitur *oblitus*. Effraim dicitur *augmentum*. Hi sunt Patres Patrum, Prophetarum, & Apostolorum origo. Hi sunt & Patres nostri, de quibus Dominus dixit ad Abraham: *In Isaac vocabitur tibi nomen*, non in Ismael, qui de ancilla natus est, quæ est synagoga.

Prophetæ dicti eo quod longè prævideant. Quos gentiles Vates appellant. Hos nostri Prophetas vocant, quasi præfatores, quia præfantur, id est, loquuntur, & de futuris vera prædicant. Qui autem à nobis Prophetæ, in veteri Testamento Videntes appellabantur, quia videbant ea quæ ceteri non videbant, quæ in mysterio abscondita erant. Multi sunt Prophetæ: sed tamen duodecim in libris conscribuntur, exceptis quatuor, qui majora volumina condiderunt. Isaias interpretatur *Salvator Domini*, & meritò: Salvatorem enim universarum gentium, ejusque sacramenta amplius quàm ceteri prædicavit. Jeremias *excelsus Domini*, pro eo quod dictum est ei: *Constitui te super gentes & regna*. Ezechiel *fortitudo Dei*. Daniel *judicium Dei*, quod inter Presbyteros judicavit. Osee *Salvator*, aut salvans. Johel *Dominus Deus*, sive incipiens Deo. Amos *Populus avulsus*, eo quod populus Israel à Domino avulsus erat. Naum *germen*, sive consolator. Abacuc *amplexans*, quia, vel ex eo quod amabilis Domini fuit. Nullus enim de Prophetis tam audaci vo-

Jerem.
1. v. 10.

ce ausus est Deum ad disceptationem justitiæ provocare, cur in rebus humanis & mundi istius tanta rerum versatur iniquitas? Michæas *quis hic*, vel quis iste. Sophonias *speculum*, vel arcanum Dei. Abdias *servus Dei*. Sicut enim Moyses famulus Domini, & Apostolus servus Christi, ita iste legatus ad gentes, missus venit. Iste fuit Dispensator Acab Regis. Jonas interpretatur *columba*, sive dolens. Columba pro gemitu; dolens propter hederam, quæ aruit. Ipse est Sareptanæ viduæ filius, ut Judæi affirmant, quem resuscitavit Elias. Et tunc dictus est Amathi. Amathi enim ex hebræo, latinè veritas, id est, filius veritatis. Zacharias *memoria Domini*, eo quod memoraratus est Dominus per ejus prædicationem populum reducere ad Jerusalem. Aggæus, in latinum, *festinus & lætus*. Malachias interpretatur *Angelus Domini*. Hi sunt duodecim Prophetæ in duodenario numero Ecclesiæ constituti. Hi prophetaverunt de Christo, quod postea Jesus Apostolis dicebat: *Alii laboraverunt, & vos in labores illorum introistis*. Et iterum: *Multi Reges & Prophetæ cupierunt videre quem videtis, & non viderunt*: id est, Christum, quem vos videtis in carne, & illi non viderunt. Quatuor verò Prophetæ inter duodecim, quatuor Evangelistas significaverunt, qui inter Apostolos fuerunt.

Apostoli græcè, latinè *Missi* interpretantur. Nam sicut græcè Angeli, latinè *Nuntii* vocantur, ita & græcè Apostoli, latinè *Missi* appellantur. Ipsos enim misit Christus evangelizare per universum mundum. Ita ut quidam Persas, Indosque penetrarent, docentes & facientes in nomine Christi magna & incredibilia miracula, ut adtestantibus signis & prodigiis crederetur illis in his quæ dicebant. Habent autem plerique ex

his

Reg. 3.
c. 17.

Luc. 18.
v. 31.
24. v. 25.
Joan. 4.
v. 38.
Luc. 10.
v. 24.

his causas suorum vocabulorum. Petrus à petra nomen accepit, hoc est, à Christo, super quem fundata est Ecclesia. Non enim à Petro petra, sed à petra Petrus sortitus est nomen. Sicut non Christus à Christianis, sed Christiani à Christo vocati sunt. Ideoque ait Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quia dixerat Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Deinde Dominus respondit: *Super hanc petram, quam dixisti, ædificabo Ecclesiam meam.* Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Cephass dictus est, eo quod in caput sit constitutus Apostolorum. Cephass græcè, latinè caput dicitur. Simon Bar iona, id est, filius columbæ. Bar quippe, Sira lingua, filius dicitur. Jona hebraicè columba, & est ipsum nomen in Petro, Simon pariter & hebræum Bar iona: alii simpliciter accipiunt, quod Simon Petrus filius sit Joannis, juxta illam interrogationem Domini: *Simon Joannis amas me?* Joannes autem *Domini gratia* dicitur, & pro Jona, Joannem dicunt. Et fuisse Petrum trinomium, id est, Petrum, Cephass, & Simonem Barionam. Simon hebraicè, latinè *audiens* dicitur. Saulus hebræo sermone *tentatio* dicitur, eo quod primus in tentatione Ecclesiæ sit versatus, inde nomen habet istud, eo quod persequebatur Christianos. Postea mutato nomine de Saulo, factus est Paulus, quod interpretatur *mirabilis*, sive electus. Latinè autem Paulus à modico dictus est: unde & ipse ait: *Ego autem sum minimus Apostolorum.* Quando enim Saulus, superbus & elatus: quando verò Paulus, humilis & modicus. Cephass autem & Saulus idèò mutato nomine sunt vocati, ut essent etiam ipso nomine novi, sicut Abraham & Sara. Andreas frater Petri carne, & coheres gratiæ, quod latinè dicitur de-

Matth.
16.v.16.

1.Cor.10
v. 4.

Joan.21.
v. 15.

1.Cor.15
v. 9.

Gen. 15

corus, sive respondens, sermone autem græco à viro viribus appellatur. (1) Joannes ex merito nomen accepit: interpretatur enim in quo est gratia, vel *Domini gratia*: amplius enim eum quàm ceteros Apostolos dilexit Jesus. Jacobus Zebedæi à patre dictus, quem relinquens, cum Joanne verum Patrem Christum secutus est. Hi sunt filii tonitruï, qui etiam *Boanerges* ex firmitate & magnitudine fidei nominati sunt. Hunc Jacobum, fratrem Joannis, Herodes post ascensionem Domini occidit. Jacobus Alphæi propter separationem cognominatus alterius Jacobi; sic iste filius Alphæi, & ille filius Zebedæi, ambo à patre nomen sumpserunt. Iste est Jacobus minor, qui in Evangelio frater Domini nominatur, quia Maria uxor Alphæi soror fuit matris Domini: quam Mariam Cleophe Joannes Evangelista cognominat. Alphæus autem hebræo sermone dicitur; latinè verò *millesimus*, sive doctus. Philippus *os lampadum*, vel os manuum. Thomas *abissus*, vel geminus: unde & græcè *didimus* appellatur. Bartholomæus Sira lingua *filius suspendentis aquas*, vel filius suspendentis me. Mattheus, in hebræo *donatus* exprimitur. Idem appellatur *Levi*, ex tribu à qua ortus fuit. In latino autem ex opere, Publicani nomen accepit, quia ex publicanis fuit electus, & in Apostolatam translatus. Simon Cananæus, ad distinctionem Simonis Petri, de vico Galilææ Cana, ubi aquas Dominus mutavit in vinum. Ipse est qui in alio Evangelista scribitur *Zelothes*. Chanaam quippe *Zelus* interpretatur. Judas Jacobi, qui alibi appellatus *Lebbæus*, figuratum nomen habet à corde, quod nos diminutivè *corculum* pos-

(1) *Locus corruptus*: Andræas quippe græca vox, ab *Ανδρᾶς, ἀνδρᾶς*, quæ est latinè *Vir*: unde *Andræas virili, seu animoso respondet*.

possumus appellare. Ipse in alio Evangelista Thaddæus scribitur, quem Ecclesiastica tradidit Historia, missum ad civitatem Ædissam ad Abagarum Regem. Judas *Is-cariothes*, vel à vico, in quo ortus fuit, vel ex tribu Isacar, vocabulum sumpsit quodam præagio futuri in condemnatione sui. Isacar enim interpretatur *merces*, ut significaretur pretium proditoris, quo vendidit Dominum. Mathias, qui inter Apostolos sine cognomine solus habetur, interpretatur *donatus*, ut subaudiretur pro Juda datus. Iste enim in loco ejus electus est ab Apostolis, cum pro duobus sors mitteretur. Marcus *excelsus mandato*, utique propter Evangelium altissimi, quod prædicavit. Lucas *ipse consurgens*, sive ipse elevans. Barnabas *filius Prophetæ*, vel filius consolationis. Hi sunt duodecim Christi Discipuli, Prædicatores fidei, & Doctores gentium. Qui cum omnes unum sint, singuli tamen eorum ad prædicandum in mundo sortes proprias acceperunt.

Petrus, Romam.

Andræas, Acajam.

Thomas, Indiam.

Jacobus, Hispaniam.

Joannes, Asiam.

Mathæus, Macedoniam.

Philippus, Gallias.

Bartholomæus, Licaoniam.

Simon Zelotes, Ægyptum.

Mathias, Judæam.

Jacobus frater Domini, Jerusalem.

Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors propria traditur, quia in omnibus gentibus Magister & Prædicator eligitur. Nam sicut Petro & reliquis circumcisionis Apostolatus est datus, ita Paulo præputii in gentibus.

bus. Hic autem & septem Ecclesiis & tribus evangelizat discipulis. Hi sunt duodecim horæ diei, quæ per Christum solem inluminantur. Hi sunt duodecim portæ cælestis Jerusalem, per quas ad vitam beatam ingredimur. Hi sunt prima Apostolica Ecclesia, quam credimus firmissimè supra Christum petram fundatam. Hi sunt duodecim Throni judicantes duodecim tribus Israel. Hæc est Ecclesia per universum orbem terrarum dilatata. Hoc est semen sanctum & electum, regale sacerdotium per universum mundum seminatum. Rari fuerunt, sed electi. Et de his parvis granis multa segēs surrexit. Hanc Ecclesiam credimus & tenemus, & qui supra evangelizaverit quàm isti, non Christianus, sed anathema in perpetuum erit, maranata, id est, perditio in adventum Domini.

Martyres græca lingua, latinè *testes* dicuntur: unde & testimonia græcè martyria nuncupantur. Testes autem idèò vocati sunt, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, & usque ad mortem pro veritate certaverunt. Martyrum primus in novo Testamento Stephanus fuit, qui hebræo sermone interpretatur *norma*, quod prior fuit in martyrio ad imitationem fidelium. Idem autem ex græco sermone in latinum vertitur *coronatus*. Et hoc propheticè, ut consequenter in prophetia quoddam futuri, prius in vocabulo resonaret. Passus est enim; & quod vocabatur accepit: Coronatus dicitur: humiliter lapidatus, & sublimitè coronatus. Duo sunt autem martyrii genera: unum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, id est, diabolo resistentes, & cunctis carnalibus desideriis abrenuntiantes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mastraverunt, etiam pacis tempore martyres facti sunt. Qui etiam si per-

persecutionis tempus existeret, martyres esse potuerunt.

Cleros & Clericos hinc appellatos, quia Mathias Apostolus sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. *Cleros* enim græcè, latinè sors vel hereditas dicitur. Propterea ergo dicti Clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum partem habent. Generalitèr autem Clerici nuncupantur omnes qui in Ecclesia Christi deserviunt. Quorum gradus & nomina hæc sunt: Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & Episcopus. Ordo Episcoporum quadripartitus est. Id est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, atque Episcopis. Patriarcha græca lingua Summus Patrum interpretatur, quia primum, id est, Apostolicum retinet locum. Et idè quia summo honore fungitur, tali nomine censetur. In omni orbe terrarum, tres sedes sunt Patriarcharum, id est, Roma, Antiochia, & Alexandria. Ipsi & Papæ dicuntur. Archiepiscopus græco vocabulo, quod summus sit Episcoporum. Tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quam Episcopis ceteris. Singulis enim Provinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ ceteri Sacerdotes subiecti sunt. Sine quibus nihil reliquos Episcopos agere licet: sollicitudo enim totius provinciæ ipsis commissa est. Omnes autem superius designati ordines uno eodem vocabulo Episcopi nominantur. Sed inde privato nomine quidam vocantur propter distinctionem potestatum, quam singularitèr acceperunt. *Patriarcha* Pater Principum. *Arcos* enim Princeps dicitur. *Archiepiscopus* Episcoporum Metropolitanus nominatur. *Episcopus* autem vocabulum inde dictum, quod ille qui superreficitur superintendat, curam scilicèt subditorum gerens. *Scopin* enim græcè quod latinè intendere dicitur, sive

& speculatores interpretatur. Nam speculator est Præpositus in Ecclesia, dictus eo quod speculatur, usque perspiciat populorum infra se positorum mores & vitam. *Pontifex* Princeps Sacerdotum est, quasi via sequentium. Ipse & Summus Sacerdos, ipse Pontifex Maximus nuncupatur. Ipse enim efficit Sacerdotes atque Levitas. Ipse omnes Ordines Ecclesiasticos disponit. Ipse quod unusquisque facere debeat, ostendit. Ante adventum autem Domini Pontifices & Reges erant. Nam majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos vel Pontifex: unde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur. Vates à vi mentis appellantur. Cujus significatio multiplex est. Nam modò Sacerdotem, modò Prophetam significat, modò Poetam. Antistes Sacerdos dictus ab eo quod ante altare stat. Primus est enim in ordine Ecclesiæ, & super se nullum habet. Sacerdos autem nomen habet compositum ex græco & latino, quasi sacrum dans. Sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à sacrificando vocatus est. Consecrat enim & sacrificat. Presbyter græcè, latinè Senior interpretatur. Non enim modò propter ætatem vel decrepitam senectutem, sed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt, Presbyteri nominantur. Iidem autem Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut Episcopi. Qui licèt sint Sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent, quia nec chrismate frontem signant, nec Paraclitum Spiritum dant, quod solis deberi Episcopis, lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Unde & apud veteres idem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis. Levitæ ex nomine auctoris vocati. De Levi enim tribu Levitæ exorti sunt, à quibus in templo Dei mystica Sacramenti ministeria explebantur. Hi græcè Diaconi, latinè

nè Ministri dicuntur. Quia sicut in Sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerii dispensatio habetur. Hypodiaconus græcè, quod nos latinè Subdiaconos dicimus: qui ideò sic apellantur, quia subjacent præceptis & officiis Levitarum. Oblationes enim in templo Dei à fidelibus ipsi suscipiunt, & Levitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinæi vocantur. Lectores à legendo. Psalmistæ à Psalmis canendis vocati. Illi enim prædicant populis quid sequantur: isti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium. Licet & quidam Lectores ita miseranter pronuntiant, ut quosdam ad luctum lamentationemque compellant. Idem etiam & pronuntiatores vocantur, quòd porrò (1) annuntiant: tanta enim & tam clara erit eorum vox, ut quamvis longè positorum aures adimpleant. Cantor autem vocatur, quia voce modulatur in cantu. Hujus duo genera dicuntur in arte musica. Sicut ea docti homines latinè dicere potuerunt, id est, Præcentor, & Succentor, scilicet qui vocem præmittit in cantu. Succentor autem, quia subsequenter canendo respondet. Concenter autem dicitur quia consonat. Qui autem non consonat, nec concinit, nec succentor, nec concenter erit. Acolyti græcè, latinè Ceropherarii dicuntur, ad deportandos cereos, quando legendum est Evangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur. Non ad effugandas tenebras, dum sol eodem tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur: *Erat lux vera, quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Exorcistæ

Joan. 1.

(1) *Id est*, longè, procul.

tæ ex græco, in latinum adjurantes, sive impre-
cantes vocantur. Invocant enim super cathecume-
nos, vel super eos qui habent spiritum immundum, no-
men Domini Jesu, adjurantes per eum, ut egrediatur
ab eis. Ostiarii idem & janitores, qui in veteri Testa-
mento electi sunt ad custodiam Templi, ut non ingre-
deretur ostium immundus in omni re. Dicti autem Os-
tarii, quod præsent ostiis Templi. Ipsi enim tenentes
clavem omnia intus ex utraque parte custodiunt, atque
inter bonos & malos habentes judicium, fideles colli-
gunt, & respuunt infideles.

Monachus græca lingua vocatus eo quod sit singu-
laris. Monas enim græcè singularitas dicitur. Ergo si
solitarius interpretatur vocabulum Monachi, quid facit
in turba qui solus est? Plura sunt autem genera Mo-
nachorum. Cœnobitæ, quos nos in commune viventes
possumus appellare. Cœnobium enim plurimorum est.
Anachoritæ sunt qui post cœnobialem vitam deserta
petunt, & soli habitant per deserta. Et ab eo quod
longe ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncu-
pantur. Sed Anachoritæ Eliam & Joannem, Cœno-
bitæ verò Apostolos imitantur. Eremitæ hi sunt qui &
Anachoritæ. Anacor græcè, latinè eremus dicitur (1).
Hi ab hominum conspectu remoti eremum & desertas
solitudines appetunt. Nam eremum dicit, quasi remo-
tum. Abba autem Syrum nomen est. Significat in lati-
num *Pater*. Quod Paulus Romanis scribens exposuit,
dicens: *In quo clamamus Abba Pater*, syrum dixit &
latinum.

Rom. 8.
v. 15.

(1) Imò ex 'Αραχαρία, recedo.

DE CETERIS FIDELIBUS.

Christianus quantum interpretatio ostendit, de unctione deducitur, sive de nomine Auctoris & Creatoris. A Christo enim Christiani sunt cognominati, sicut à Juda Judæi. De Magistri quippe nomine cognomen sectatoribus datum est. Christiani autem aliquando à Judæis quasi hoc proprio nomine Nazaræi vocabantur, pro eo quod Dominus noster atque Salvator à vico quodam Galileæ, Nazaræus sit appellatus. Non se autem gloriatur esse Christianum, qui nomen habet, & facta non habet: ubi autem nomen secutum fuerit, & opere compleverit, certissimè Christianus erit. Ille est enim veraciter Christianus, qui fide & factis se ostendit Christianum, ambulans sicut & ipse ambulavit à quo & nomen traxit. *Catholicus* universalis, sive generalis interpretatur. Nam Græci universale *Catholicon* vocant. *Orthodoxus* est credens rectè, & ut credit vivens. *Orthos* enim græcè, latinè *rectè* dicitur: *Doxa*, gloria; hoc est, vir rectæ gloriæ. Quo nomine non potest vocari qui aliter vivit, quàm credit. *Neophytus* græcè, latinè *novellus*, & *rudis fidelis*, vel nuper renatus interpretari potest. *Catechumenus* dictus pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum recepit. Nam *catechumenus* græcè, latinè *auditor* interpretatur. *Competens* vocatus, quia post instructionem fidei competit gratiam Christi. Inde ab appetendo *competens* vocatur. Cum aliquis jam paganus ad fidem venit, cum instruitur ut credat, *catechumenus* dicitur: cum rectè crediderit, & baptizari se postulat, *competens* nominatur: cum verò in aqua baptismi tingitur, *fidelis* dicitur: cum ve-

rò chrismatur , à chrisma , id est , unctiōe , dicitur Christianus. Sed quoniam post baptismum per Episcopos datur Spiritus Sanctus per manus impositionem , in Actibus Apostolorum Apostolos hoc fecisse meminimus. Sic enim dicit : *Cum audissent autem qui erant Jerusalem Apostoli , quod Samaria accepit verbum Dei , miserunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum venissent , oraverunt pro illis ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in ullo eorum descenderat Spiritus Sanctus. Tantum enim baptizati erant in nomine Domini Jesu Christi. Tunc imponebant illis manus , & accipiebant Spiritum Sanctum.* Spiritum autem Sanctum accipere possumus , dare non possumus ; sed ut detur , Dominum invocamus. Hoc autem à quo melius fiat , quemadmodum Sanctus Papa Innocentius Romanæ Sedis per omnes Ecclesias scripserit , audite ; dicit enim : Non ab alio , sed ab Episcopo Spiritum Sanctum per manus impositionem fieri licere. Nam Presbyteri licet sint Sacerdotes , Pontificatus tamen apicem non habent : hoc autem solis Pontificibus deberi , ut consignent in fronte , vel Spiritum Sanctum tradant , quod non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat , verum & superior illa lectio Actuum Apostolorum , quæ asserit , Petrum & Joannem esse discretos & directos , qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteris seu extra Episcopum , sive præsentem Episcopum , cum baptizant , chrismate baptizatos ungere licet , sed eo chrismate quod ab Episcopo fuerit consecratum : non tamen frontem ex eodem oleo signare , quod solis debetur Episcopis , cum tradunt Spiritum Sanctum.

Act. 8.
v. 14.

DE RELIGIONE ET FIDE.

Dogma à putando Philosophi nominaverunt, id est, hoc puto esse bonum, hoc puto esse verum. Religio appellata, quod per eam uni Domino religamus animas nostras ad cultum divinum vinculo servendum: quod verbum compositum est à religendo, id est, eligendo: ut ita latinum videatur religio, sicut eligio. Tria sunt autem quæ in religionis cultu ad colendum Deum hominibus perquiruntur: id est, fides, spes, & caritas. In fide quid credendum: in spe quid sperandum: in caritate quid sit amandum. Fides est, qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus. Nam credere jam non possumus quod videmus. Propriè autem nomen fidei inde est dictum, si omnino fiat quod dictum est, aut promissum. Et inde fides vocata, ab eo quod fit illud quod inter utrosque placitum est, quasi inter Deum & hominem. Hinc & fœdus dicitur. Spes vocata quod sit pes progrediendi viam, quasi in via est pes. Unde & è contrario desperatio: quia deest ibi pes, nullaque in via ambulandi facultas: quia dum quisque peccatum (1) amat, futuram gloriam non sperat (1). Caritas græcè, latinè dilectio interpretatur, eo quod duos in se liget. Nam dilectio à duobus incipit, quod est amor Dei & proximi. De qua Apostolus ait: *Plenitudo autem legis est dilectio*. Major est autem hæc dilectio omnibus virtutibus in Ecclesia: quia qui diligit, & credit & sperat. Qui autem non diligit, quamvis multa bona faciat, sine causa

la-

(1) Apud Isidorum 8. Orig. cap. 1. punctum, & superat: hic autem peccatum, & sperat.

laborat. Omnis autem dilectio carnalis, non dilectio, sed amor magis dici solet. Dilectionis autem nomen tantummodò in melioribus rebus, id est, in sanctis & religiosis viris accipi solet. Hæc est ecclesiastica doctrina, hæc fides intra Ecclesiam tenenda. *Explicit Prologus Ecclesiæ.*

INCIPIT PROLOGUS SYNAGOGÆ.

Synagoga græcè, latinè *congregatio* dicitur, quia Ecclesia advocationem dicit, eo quod omnes ad se vocet. Synagogam verò congregationem appellavit, eo quod multitudines populi in ea congregentur. Quod proprium nomen Judæorum populus tenuit. Ipsorum enim propriè Synagoga dici solet: quamvis & Ecclesia dicta sit, cum & in Christianos Synagoga nominatur. Nostram verò Apostoli numquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam. Sive discernendi causa, sive quod inter nos congregationem habemus. Unde & Synagoga & convocatio ab una Ecclesia nomen accepit. Distat aliquid inter advocationem & congregationem, quia advocare dicitur invitare: congregare verò (1) sicut & pecora congregari solent, quorum & greges propriè dicimus congregari. Quantum distat inter pecus & hominem, tantum distat inter Synagogam & Ecclesiam. In Ecclesia nuncupantur homines, in Synagoga animalia. Homines sunt ratione capaces, præterita recordantur, præsentia ordinant, & futura prævident: & quidquid de die in diem faciunt, incensanter pensant, ne ad deteriora unquam vel in opere vel

in

(1) *Supple* v. g. Est cogere, sicut &c. *De hoc Aug. in Psal. 81. & Isidorus 8. Orig. 1.*

in cogitatione cadant. Non dant somnum oculis, sed die & nocte in lege Domini meditantur. Iste est filius masculus, quem mulier dicitur peperisse. Qui non quemlibet sanctorum virorum imitando, sed ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, operatur justitiam, ut ipsam intelligat & sequatur, ad cujus imaginem factus est, veritatem. Iste etiam accepit potestatem piscium maris & volatilium cæli, pecudumque, ferarum quoque, & reptilium; quia *spiritualis* quisque effectus, & Deo similis factus, secundum Apostolum, *judicat omnia*, ipse autem à nemine judicatur, quia non in hoc mundo, sed in futuro heres esse creditur. Synagoga verò omnem spem suam in hoc mundo habet. Sollicita est pro corpore, non pro anima. Continet autem hos, id est, diabolum, & Antichristum, & hæreticum, hypocritam, schismaticum, superstitionem, bestiam, draconem, puteos, locustas, equos, & mulierem super bestiam sedentem. Diabolus hebraicè dicitur, latinè verò deorsum fluens: quia quietus in cæli culmine stare contempsit, sed superbiæ pondere deorsum corruens cecidit. Græcè verò diabolus criminator vocatur, quod vel crimina in quæ ipse homines incitat, Deo referat, vel quia electorum innocentiam criminibus falsis accusat: unde in hoc libro voce angelica dicitur: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos in conspectu Dei nostri die ac nocte.* Græcè Satanus dicitur, in latinum verò sonat adversarius sive transgressor. Ipse enim adversarius qui est veritatis inimicus, & semper Sanctorum virtutibus contraire nititur. Ipse transgressor, quia prævaricator effectus: *In veritate*, qua conditus est, *non stetit.* Idem & tentator, quia tentandam justorum innocentiam postulat, sicut in Job scribitur. Antichristus appellatur, quia

1. Cor. 2.
v. 15.

Apoc. 12.
v. 10.

Joan. 8.
v. 44.

quia contra Christum venturus est. Non quomodo quidam simplices intelligunt, Antichristum ideò dictum, quod ante Christum venturus sit, id est, post eum veniet Christus. Non sic. Sed Antichristus græcè dicitur, quod est latinè *contrarius Christo*. Anti enim græcè, in latinum *contra* significat. Christum se enim mentietur, dum venerit, & contra eum dimicabit, & adversabitur Sacramentis Christi, ut veritatis Evangelium solvat, & non recipiat, nisi solum legem Mosaycam, & populum ad circumcisionem provocet. Nam & templum Jerosolymis reparare, & omnes legis veteris cærimonias restaurare tentabit. Sed & ille Antichristus est, qui negat esse Deum Christum: contrarius enim Christi est. Sed & ille Antichristus est, qui credit esse Deum Christum, operibus autem dissentit à Christo. Christum credit fide, & negat opere. Nam sicut duobus modis apostatas diximus recedere à Deo, ita duobus modis apostatas homines esse. Sicut enim qui fide recedit, apostata est; ita qui opere recedit ab omnipotente Deo, apostata nominatur, etiam si in Ecclesia fidem rectam tenere videatur. Omnes enim qui exeunt de Ecclesia, & ab unitate fidei & operis præciduntur, sine dubitatione Antichristi esse creduntur.

DE HÆRESIBUS CHRISTIANORUM.

HÆreses Christianorum multæ sunt, & innumerabiles. Cum autem Ecclesia septiformis est, & in toto mundo diffusa una esse creditur: hæresum verò dogma particulatim in aliquibus regionum partibus coarctatur. Quidam etiam hæretici de Ecclesia recesserunt, & ex nomine suorum Auctorum, qui eas adinvennerunt, nominantur. Quidam verò, ex causis propriis
quas

quas suo arbitrio eligentes instituerunt. Nam hæresis græcè, latinè electio vocatur: quòd scilicet unusquisque id sibi eligat, quod melius illi esse videtur; quòd non solùm in rusticis & ignaris, sed in sapientibus reperitur, & litteratis: qui perversas doctrinas excogitantes arbitrio suo quod voluerint faciunt: quia quisquis ab unitate Ecclesiæ in consilio segregatur ad instituendas, sive ad suscipiendas quaslibet causas quas ipse sibi eligit, hæreticus est. Et non solùm de fide dicimus, sed etiam diversæ & machinatae, quæ pro nihilo esse æstimantur, observationes, hæreses nuncupantur: quæ omnia à Sanctis Sacerdotibus in die iudicii requirendæ erunt. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet; sed nec eligere quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Dei habemus Auctores, quia nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fidelitèr nobis adsignaverunt. Itaque etiam si Angelus de cælis aliter annuntiaverit, anathema vocabitur. Hæ sunt hæreses adversus Catholicam fidem exortæ, & ab Apostolis, & à Sanctis Patribus, vel Conciliis prædamnatæ. Quæ dum in se multis erroribus divisæ invicem sibi dissentiant, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicumque aliter Scripturam Sanctam intelligit quam sensus Spiritus Sancti flagitat, à quo conscripta est; licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

*Ad Gal.
lat. 1. v. 8*

DE SECTA.

SEcta à sequendo & tenendo nominata est. Nam sectas dicimus habitus animorum, ac institutam disciplinam, vel propositum, quod tenendo secuntur, lon-
gè

IIIO S. BEATI IN APOCALYP.
gè alià in religionis cultu aestimantes, quàm ceteri.

DE SCHISMA.

Schisma à scisura animorum vocata est. Eodem enim cultu, eodem ritu credunt ut ceteri religiosi. Solo congregationis delectantur discidio, ut cum ceteris communi nullo fulciantur consilio. Fit autem schisma, cum dicunt homines: Nos justi sumus: Nos sanctificamus immundos, & cetera his similia.

DE SUPERSTITIONE.

Superstitio, dicta eo quod sit superflua, & aut super instituta religionis observatio.

DE HYPOCRITA.

Hypocrita græco sermone, latine verò simulator dicitur. Qui etiam sacræ legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba præferunt: omne quod sentiunt, testimoniis accingunt: nec tamen per hæc vitam audientium, sed proprias laudes quærunt. Quia nec proferre alia noverunt, nisi quod auditorum corda ad rependendas laudes excutiant, non ad lacrymas accendunt: mens quippe concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet, & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos non possunt verba quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res quæ in se ipsa non arserit, alium accendit. Unde fit plerumque ut hypocritarum dicta & auditores non erudiant, & eosdem ipsos qui se proferunt elatos laudibus deteriores reddant: attes-

tante etenim Paulo : *Scientia inflat, Caritas ædificat.* 1. Cor.
 Quem ergo caritas ædificando non erigit, scientia in- 8. v. 1.
 flando pervertit. Plerumque hypocritæ mira se absti-
 nentia affligunt, omne robur corporis adterunt, &
 quasi carnis vitam funditus in carne viventes extin-
 gunt: sicque per abstinentiam morti adpropriant, &
 penè quotidie morientes vivunt: nam ora pallescunt,
 corpus debilitatur & quatitur, pectus interrumpenti-
 bus suspiriis urgetur, sed inter hæc ab ore proximo-
 rum sermo admirationis quæritur: nam qui corpus
 macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intul-
 lit, sed mundo per concupiscentiam vivit. Quia &
 sæpè per sanctitatis imaginem locum regiminis indig-
 nus adsequitur, quem nisi aliquid in se virtutis osten-
 deret, nullum percipere honorem mereretur. Sed tran-
 sit quod delectabiliter obtinet: pœnaliter quod sequi-
 tur manet. Sanctitatis nunc fiducia in ore hominum
 ponitur: sed cum internus iudex secreta cordis exa-
 minat, testis vitæ exterius non quæritur.

DE ARROGANTE.

ARrogans dicitur, id est, audax, & superbus, eo
 quod multum rogetur, & ille fastidiosus sit.

DE ELATO.

ELatus dicitur pro eo quod se ipsum super men-
 suram suam elevet, dum magnus sibi videtur,
 de his quæ agit.

DE DESPERATO.

Desperatus vulgò vocatur malus ac perditus, nec jam ullius prosperæ spei. Dicitur autem per similitudinem ægrorum, quia effeti & sine spe deponuntur. Consuetudo autem erat apud veteres, ut desperati ante januas suas collocarentur, ut vel extremum spiritum redderent terræ, vel ut possent à transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverunt morbo.

DE INIMICO.

Inimicus est, id est, non amicus, quia amicus, animi custos dicitur: Inimicus autem adversarius. Duæ autem res inimicos faciunt, fraus & terror. Quòd timent fraudes mali quòd passi sunt.

DE SUPERBO.

Superbus dictus, quia super vult videri quàm est. Qui enim vult supergredi quòd est, superbus est.

DE PUBLICANO.

Publicanus est, qui fiscalia publica exigit: qui per publica negotia sæculi lucra sectatur.

DE PECCATORE.

Peccator à pellice, id est, meretrice, vocatus, quasi pellicator: quòd nomen apud antiquos tantum solum flagitiosum significabat: postea transit hoc

vocabulum in appellationem hominum iniquorum.

DE FORNICATRICE.

Fornicatrix est, cujus corpus publicum & vulgare est; hæc sub arcu murorum prostrabatur, quæ loca fornices dicuntur, & inde fornicariæ nuncupantur.

DE PRÆVARICATORE.

Prævaricator, malæ fidei advocatus, qui vel in accusando loquitur, vel in defendendo profutura præterit: inutiliter dubieque proponit mercedis gratia, & falsum testificatur pro lucro.

DE STULTO.

Stultus, ipse est fatuus, qui præ stupore non movetur. In injuria sævitiam ex malitia præfert, nec ultus est, nec ulla ignominia commovetur dolore.

DE DRACONE.

DRaco serpens est, id est, Diabolus; sed ex auctore nominis à serpendo nomen accepit. Ipse est & Leviathan, id est, serpens de aquis, quia in hujus sæculi mare volubili versatur astutia. Leviathan autem interpretatur *additamentum eorum*. Quorum scilicet, nisi hominum? quibus in paradiso semel culpam prævaricationis intulit, & hanc usque ad æternam mortem quotidie persuadendo adjicit, vel extendit.

Dictum est ad serpentem: *Maledictus eris inter omnia animantia: super pectus tuum & ventrem gradieris.* Genes. 3.
v. 14.

Hic figuralitèr significatur cogitatio ac superbia mentis. Per ventrem verò, carnis luxuria designatur. Superpectus autem & ventrem, diabolus, id est, serpens ambulat, quia his duabus causis serpit, qui nos decipere quærit: id est, aut cogitatione superbiæ, aut luxuria, vel ingluvie ventris. *Et terram manducabis*, id est, ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis. Quando enim dictum est diabolo, *terram manducabis*, tunc dictum est homini peccatori: *Terra es, & in terram ibis*, & datus est in cibum diaboli homo peccator. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen ejus*. Semen diaboli mala suggestio vel cogitatio peccati est. Quando unusquisque malè cogitat, tunc diabolus in corde seminat. Semen autem mulieris fructus est boni operis. Quando unusquisque bonum cogitat, tunc bonum semen seminat; & si quod cogitaverit opere compleverit, pravæ suggestioni resistit. *Caput serpentis mulier*, id est, caro, *conteret*, si eum mens in ipso initio malæ suggestionis excludit. Ille *insidiatur calcaneo ejus*, quia mentem quam prima suggestionem non decipit, decipere usque in finem quærit. Sic Christum cum eum hominem vidisset, decipere quæsit, & non potuit. Tunc ergo caput contrivit, quia non per potentiam, quòd Deus erat, sed per humilitatem hominis eum contrivit, quod est mors. Sicut

Psal. 90. v. 13. & David dixerat ex persona Patris ad Filium: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Aspidem dixit mortem, & basiliscum vocavit peccatum. Draconem diabolum occultè insidiantem. Leonem verò Antichristum. Hos nunc servi Dei sequaces Christi, per fidem & opera sub pedibus calcant, sicut veritas in Evangelio ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones,*

*Psal. 90.
v. 13.*

*Luc. 10.
v. 19.*

nes, & supra omnem potestatem inimici: & nihil vobis nocebunt.

DE EQUIS.

Equi Domini sunt quos Zacharias vidit missos in mari, id est, in prædicationem mundi. Hi equi tres sunt. Albus, id est, candor baptismi: niger, id est, squalor poenitentiae: tertius rufus, quod est passio martyrii. Hi tres unum sunt, & sessor suus est Christus.

DE EQUIS MALIS.

Et hi equi tres sunt. Primus rufus, id est, sanguinolentus & homicida. Ille rufus, quem supra diximus, suo sanguine est rufus; iste verò alieno. Hi sunt homicidæ. Secundus equus niger, quamvis & ille niger sit, quem superius diximus; sed ille niger est per poenitentiam; iste verò per opera. Iste est fames spiritualis in Ecclesia, id est, prædicatio Evangelica, quam nemo adnuntiat. Tertius equus pallidus est, & infernus sequebatur eum. Ipse est mors spiritualis in Ecclesia. Per peccatum enim mors. Hi tres equi unum sunt, & sessor suus diabolus.

DE BESTIA.

Bestia propriè à devastando nomen accepit, id est, devorando. Daniel enim quatuor in visione bestias vidit. Prima quasi Leæna, & habebat alas Aquilæ. Secunda bestia similis Urso. Tertia bestia quasi Pardus. Quarta bestia terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.

Dan. 7.

Ibi, v. 7.

Dissimilis erat ceteris bestiis, & habebat capita septem & cornua decem. Hæc quatuor bestię iste mundus est, qui in quatuor partibus dividitur, Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie; quamvis & quatuor regna intelligantur, id est, in Leæna Babiloniorum regnum. In Urso Medorum atque Persarum. In Pardō regnum Macedonum. Et in illa dissimili & forti regnum Romanorum; dentes ferreos habens magnos comedens & conculcans, eo quod per ipsorum regnum facta sunt omnia martyria. Tamen hæc quatuor unus mundus est. Sicut & Nabucodonosor in sua statua visionis quasi unum vidit in figura hominis; sed in quatuor partibus discoloribus membris conspexit, id est, caput aureum, quod est prima pars mundi: pectus & brachia de argento, quod est secunda: tertia ex ære, quod est tertia pars, id est, venter & femora: quarta verò pedes ferreos & ex parte fictiles. In his pedibus apertè cognosce finem istius sæculi esse; quia pedes extrema pars corporis est. Unde & lapis de monte veniens, id est, Dei filius de Virgine, hanc statuam in pedibus percutere dicitur, id est, in finem mundi venire, & mundi pacem cum Angelis sociare, & ipse Rex in universum mundum suæ Ecclesiæ esse, hoc est lapidem mundum implere. Ergo hæc quatuor bestię una bestia est, quæ in hoc libro manifestata esse dignoscitur, habens capita septem, & cornua decem. Decem cornua & septem capita unum est. Capita omnes Reges dicit: cornua omnia regna dicit: & inter decem cornua unum cornu parvulum nominavit. Ergo dicamus, quòd omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in finem mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem Reges futuros esse qui regnum Romanum inter se dividant. Et undecimum surrecturum esse parvulum Regem, qui tres Reges

ges de decem Regibus superaturus sit. Id est Ægyptiorum Regem, & Africae, & Etyopiæ, sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus tribus interfecit, etiam septem alii Reges ipsi undecimo Regi, qui erat cornu parvulum, colla submittent. Ipse est homo peccati filius perditionis, Antichristus, ita ut in templo Dei sedeat faciens se quasi Deum. Per speciem quidem corporis sui adhuc non venit, sed tamen in hac bestia, & in equis malis quos dicimus, regnum tenet, de quo per Prophetam dicitur: *Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa pertransibunt omnes bestiae silvarum. Catuli Leonum rugientes ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Hinc per Job dicitur: *Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur.* Quis alius nomine bestiae, nisi antiquus hostis accipitur, qui deceptionem primi hominis sævus impetiit, & integritatem vitæ illius male suadendo laniavit? Contra quem per Prophetæ vocem de Sancta electorum Ecclesia in antiquo statu restauranda, quem in paradiso perdidit, repromittitur: *Et mala bestia non transibit per eam.* Sed hæc bestia cum post Redemptoris adventum, post prædicatorum voces quasi post tonitruum nubium in finem mundi illum damnatum hominem, qui Antichristus vocatur, invaserit, quid aliud quam latibulum suum ingreditur, ut in antro proprio demoretur? Vas quippe illud diaboli antrum ac latibulum bestiae est, ut insidians hominibus viam hujus vitæ carpentibus, in illo & per signa lateat, & per malitiam occidat. Qui tamen omnium reproborum corda etiam nunc priusquam apertus appareat, possidet, eaque per occultam malitiam quasi propriam speluncam tenet. Atque ad omne quo nocere bonis adpetit, in eorum se obscuris mentibus abscondit. An Judæorum persequentium corda spelunca hujus

Ps. 103.
v. 20.

Job 37.
v. 8.

Isaf.
v. 9.

Luc. 23.
v. 21.

bestiæ non fuerunt, in quorum multis consiliis in corde latuit, & subito vocibus erupit clamantium, *Crucifige, crucifige?* Et quia ad lacerationem mentis pertingere tentando non potuit in Redemptore nostro, ad mortem carnis anhelavit. Hæc nimirum bestia multa electorum corda tenuit: sed hanc ab illis moriens Agnus prædam excussit. Unde & in Evangelio dicitur:

Joan. 12.
v. 31.

Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras. Quia miro rectoque judicio, dum confessionem humilium inluminans Dominus suscepit, superborum oculos deserens clausit. Sicut dixit: *Posuisti tenebras, & facta est nox.* Tenebras quippe Dominus ponit, cum peccatis judicia rependens lumen suæ intelligentiæ subtrahit. Et nox efficitur, quia pravorum mens ignorantiae suæ erroribus cæcatur. In qua omnes bestiæ silvarum pertranseunt, dum maligni spiritus sub umbra fraudis latentèr in reproborum corda pravitates suas explendò percurrunt. In qua & catuli Leonum rugient, quia nequissimarum, sed tamen eminentium, potestatum ministri spiritus importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen à Deo escam expectant, quia sine dubio capere animas non possunt, nisi justo judicio prævalere divinitus permittantur. Unde & aptè jungitur: *Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis se conlocaverunt.* Quia veritatis lumine per carnem apparente à fidelium mentibus excussi, quasi ad cubilia sua reversi sunt, dum sola infidelium corda tenuerunt. Quod igitur illic Leonum cubile, hic antrum, id est, spelunca bestiæ dicitur. Notandum verò magnopere æstimo, quòd hæc bestia non solum antrum suum ingredi, sed in eo etiam morari dicitur. Aliquando namque etiam bonorum mentes ingreditur: illicita suggerit: tentationibus fatigat: rectitudinem spiritus ad delectationem

carnis deflectere conatur : delectationem quoque ad consensum perducere nititur : sed tamen resistente superno adjutorio prævalere prohibetur. Intrare ergo in mentes bonorum potest, sed in eis morari non potest, quia cor justî hujus bestię spelunca non est. Quos enim quasi propriam speluncam possidet, eorum mentes sine dubio immorans tenet ; quia & prius in eis cogitationes usque ad iniqua desideria, & post iniqua desideria usque ad nequissima opera perducit. Neque enim student reprobi suggestiones ejus recta judicii manu repellere, cujus voluptatibus appetunt subdita dilectione servire. Cumque in eorum cordibus pravum quid oritur, mox per studium delectationis enutritur. Et cum sibi minimè resistitur, protinus ex consensu roboratur : statimque consensus ad opus ducitur, opus verò etiam consuetudine juvatur. Rectè enim in antro suo morari hæc bestia dicitur, quæ tandiu cogitationes reproborum tenet, quousque eorum vitam etiam aculeo pravi operis perforat.

DE PUTEO.

Puteus profundum terræ est, ubi Sol radios suos numquam mittit, quia præ profunditate lumen diei accipere non potest. Ipse puteus, ipsum antrum, ipsa spelunca, ipsa caverna terræ, hoc totum unum est, quod sunt homines in tenebris istius sæculi ambulantes, ubi Sol justitiæ Christus lumen non effundit. Quia in profundo, id est, terrena lucra sectantes, lumen eis justitiæ absconditur. De ipso puteo hoc supra exposuimus, quòd antrum dicit. In hoc puteo absconditus jacet diabolus : de hoc puteo exierunt locustæ, id est, dæmones : & hic puteus & locustæ unum sunt. Quia homines mali ascensorem diabolum habent. Sicut

Joel.
v. 4.

I. per Prophetam dicitur : *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Quid per erucam, quæ toto corpore terram repit, nisi luxuria designatur, quæ cor ita polluit, ut in superioris munditiæ amorem surgere non possit? Quid per locustam, quæ saltibus volat, nisi inanis gloria exprimitur, quæ se vanis præsumptionibus exaltat? Quid per bruchum, cujus penè totum corpus in ventre colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur? Quid per rubiginem, quæ dum tangit incendit, nisi ira innuitur?

DE MULIERE SUPER BESTIAM.

Mulier super bestiam est corruptela, & opera nequitiae, & voluptates, & fornicatio, & immunditia, & avaritia, & zelus, detractio, invidia, vanagloria, superbia, ingluvies ventris. Qui de prosperitate mundi lætatur, qui caritatem non habet, qui pauperibus bene non facit, qui servos Dei injuriis & contumeliis afficit, qui propria non tribuit, sed adhuc aliena rapit, qui ad Ecclesiam non concurrit, qui falsum testimonium dicit, qui malum pro malo reddit, qui de morte inimici gratulatur, qui auguria & incantationes & caracteres, quod signum Salomonis rustici dicunt, vel alios hujusmodi caracteres, quos solent scribere, & de collo suspendere, & herbas simbolo vel oratione Dominica vel cum incantatione colligere, & mulierculas ad telas araneas vel pedes observare, & viros pro semine lunam & dies observare, sive ad animalia domanda, sive pueros ad disciplinam, sive arbores ad ponendum, sive ad opus faciendum, sive animalia ad occidendum, sive de loco in locum commu-

tan-

tandum, sive iter ad progrediendum, sive die secunda feria aliquid observant ne aliquid. . . . de domo ejiciant, neque ignem, neque bucellam: Hæc omnia & horum similia à diabolo sunt inventa, & à paganorum hominum ritu instituta. Qui hæc quæ suprâ diximus observaverit, non est Apostolorum filius, sed dæmonum, quorum opera est imitatus. Hæc est mulier corruptela, quæ sedet super bestiam, quam suprâ nominavimus. Hæc est mulier, quæ sedet super aquas, id est, super populos, sicut scriptum est: *Mulier, inquit, quam vidisti, quæ sedet super aquas multas, populi sunt, & nationes.* Hæc doctrina de damnabili officina paganorum remansit. Hæc non recipit Patrum dogma, nec Sancta Mater Ecclesia. Solent & aliqui religiosi sub nomine sanctitatis libros inspicere, & sermones pro qua causa agitur investigare, & hoc sortes Sanctorum dicere. Hæc & his similia ab hæreticis, & paganis inventa; quidquid in librorum numero, id est, novo & veteri, firmatum non reperitur, cuncta prædamnavit sancta doctrina, & foras projecit Sancta Mater Ecclesia. Et cui parum, cui multum de hoc idololatriæ poculo dat. Aureus est, quòd Christiani dicuntur, sed istis operibus quæ in Synagoga perstrinximus à Christo & Ecclesia dividuntur: quia sicut Ecclesia Christum, ita & isti diabolum habent caput. Et sicut Ecclesia cum Christo unum efficitur membrum, ita & isti cum diabolo unum habent corpus conjunctum, & cum Ecclesia Catholica unam fidem, unum baptisma, unum Dominum videntur colere Christum. Hos tolerat Mater Ecclesia, hos in hoc mundo effugere non valet, nisi cum in die judicii triturrata fuerit area, & excusum fuerit triticum à palea, donec triticum recondatur in horreum, paleæ autem comburantur igne inextinguibili.

Apoc. 17
v. 1. &
15.

QUALITER IN UNUM COLLECTA EST

Ecclesia, & Synagoga.

Ecclesia & Synagoga unum nomen est, quia quod nos dicimus Ecclesiam, hoc Judæi dicunt Synagogam. Sed tamen ab Apostolis derivata sunt hæc vocabula; cum synagogam dicerent congregationem, Ecclesiam dixerunt advocacionem. Et una congregat, alia advocat, eo quod Ecclesia omnes ad se vocat, sive bonos sive malos. Proinde in Scripturis Sanctis multis nominibus appellatur. Aliquando dicitur fornicaria, & meretrix: aliquando dicitur virgo, aliquando dicitur soror, aliquando dicitur sponsa, aliquando dicitur uxor, aliquando dicitur mater, aliquando dicitur filia, aliquando dicitur regina, aliquando dicitur concubina, aliquando adolescentula, aliquando proxima, aliquando amica. Quid enim interpretatur fornicaria, nisi quod omnibus subjecta est? Omnibus ad se venientibus fidem non denegat; omnibus ad se venientibus prostrata jacet. Unde & Raab, meretrix, Ecclesiæ figura fuit, quæ coccum & spartum in fenestra suspendit, ut cum Jesus Filius Nave veniret, viso signo cocci Raab, & qui in domo ejus erant, cum ea salvarentur. Ita Jesus Christus Filius Dei martyres & pœnitentes per coccum & spartum cùm venerit mundum istum igne cremare, Ecclesiam, & qui in ea fore censentur, salvet. Virgo est, quia Virgines corpore & spiritu colligit, sicut scriptum est. *Adducentur Regi Virgines.* Soror est, sicut in Cantico legimus de Ecclesia, quæ ex gentibus futura erat, quod Testamenta necdum haberet: *Soror, inquit, nostra adolescentula est, & ubi-*

Psal. 44.

v. 15.

Cant. 8.

v. 3.

ubera non sunt ei. Sponsa dicitur eo quod Christus eam sibi anulo fidei subarrhavit, sicut ipse in Evangelio dicit: *Surrexerunt omnes virgines, & ornaverunt lampades suas, & exierunt obviam Sponso & Sponsæ.* Uxor dicitur, quia de ea sibi Christus per prædicatores filios generat, sicut scriptum est: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Mater dicitur, quia perfecta est, sicut scriptum est: *Una est perfecta, quæ facta est genitrici suæ.* & quotidie filios lactat per duo ubera Testamentorum, sicut dicit: *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli, qui pascuntur inter lilia.* Duos istos hinnulos lactat, id est, duos populos, de circumcissione, & præputio venientes. Filia dicitur, quia patrem proprium recognoscit, sicut scriptum est: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, id est, diaboli: Et concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Hucusque per Prophetæ linguam, quam calamo scribenti velociter comparat, locutus est Spiritus Sanctus: ipsum Regem, & bellatorem, & Deum, sponsumque appellans. Et in persona patris inducitur loquentis ad sponsam filii sui, & exhortantis eam, ut veteri gentilitatis & idololatriæ errore contempto, primum his quæ dicuntur attendat, & propterea de alienigena filia nominetur: deinde videat vel ipsa quæ dicuntur, vel universam conditionem: & ex visibilibus intelligens invisibilia, & ex creaturis sentiens creatorem, diligenter inclinet aurem suam, ut quæ dicuntur memoriter teneat. Cumque audierit, viderit, & inclinaverit aurem suam, totamque se doctrinæ tradiderit, & eorum intelligentiæ quæ

- quæ dicuntur, obliviscatur primum populum suum,
Gen. 12. & cum Abraham de Chaldæa egrediens relinquat ter-
 ram nativitatis & cognationis suæ. Nemo dubitare
 potest patrem nostrum, ante quàm adoptaremur à
Joan. 8. Deo, fuisse diabolum, de quo Salvator ait: *Vos de*
v. 44. *diabolo patre estis.* Cum ergo, antiqui patris fueris
 oblita, & talem te exhibueris, depositis pristinis sor-
 didibus, ut super fratrualem Christum dealbata cons-
 cendas, & te possit diligere filius meus, tunc concu-
 piscet Rex decorem tuum. Quod Ecclesia ex gentibus
 congregata in una sponsa exposuimus, unusquisque ad
 se ipsum referat: anima quæ rectè credit, quæ prio-
 ribus vitiis derelinquitur, statim à Deo adoptatur in
 filiam. Et si per hæc adoptata est, inclinet aurem
 suam, obliviscatur veteris conversationis, & cum
 Apostolo dimittat mortuum patrem, & talem se præ-
 beat quæ ametur à Rege. Ipse est enim Dominus ejus,
 cui flectere debet genu, & deposita superbia jugum
 humilitatis adsumere. Regina est, quia Regem habet
Psal. 44. sponsum, sicut scriptum est: *Astitit Regina à dex-*
v. 10. *tris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.*
 Quæ filiæ Regum te expectaverunt in honore tuo?
 Filiæ Regum sunt, quæ sponsi parantur amplexui,
 cujus thronus est in sæculum sæculi. Hæc sunt quæ
 Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à
 domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ
 Regum in honore tuo. Per myrrham intelliguntur, qui
 corpora sua mortificant, quia per myrrham mortuorum
 corpora condiuntur. Per casiam, quia Christi bonus
 odor sumus. Et sponsus Christus loquitur ad sponsam
Cant. 4. Ecclesiam, *Myrrha, & aloë cum omnibus unguentis*
v. 14. *primis,* & illa respondit: *Manus meæ distillarunt*
v. 5. *myrrham, digiti mei guttam.* Hoc est myrrha quod
 sup gut-

gutta. Stacten verò flores sunt myrrhæ, & hoc stacten dicitur gutta, vel stilla. Quod autem sequitur cassia, ipsa est quæ ab aliis fistula nuncupatur, vocales laudes Dei, & omnes pituitas, rheumata voluptatum suo calore excoquens. Quæ verò super petram Christi, stabili jam radice fundata, est Catholica Ecclesia, una, columba, perfecta, & proxima stat à dextris, & nihil in se sinistrum habet, stat in vestibus deauratis, id est, de sermonibus Scripturarum ad sensum intelligentiæ transiens, & cunctis plena virtutibus in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Est enim regina, regnatque cum Rege, cujus filias possumus intelligere, & in commune credentium animas, & propriè virginum Choros, adorantes sponsum. *Filiæ Tyri in muneribus*, id est, filiæ fortissimi, aut certè ipsa sit fortissima, quia imitata est fortem; cujus vultum in diversis muneribus *deprecabuntur divites plebis*. Divites dicit, sive hujus mundi, sive sapientes Scripturarum. Uxorem quoque, & concubinam intelligamus de Cantico Salomonis, quæ sine sponso suo, vel marito, non esse potest. Proxima autem, & amica dicitur, quia semper amicitiae fœdere, id est, fide & opere, & in contemplationis arce, quantum plus desiderat, tantum plus proxima est. Hæc, quam multis vocabulis diximus, una esse non dubitatur. Certè dicitur virgines sequentur eam, ducentur in lætitia & exultatione, ingredientur thalamum Regis. Multam esse distantiam animarum in Christo credentium demonstrat Canticum Canticorum, in quo scriptum est: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ quarum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea: de qua dicitur: Viderunt eam filie, & beatificant eam* Re-

Cant. 6.
v. 7.

ginæ, & concubinæ laudant eam. Quæ ergo perfecta est & sancta corpore & spiritu, & columba & proxima meretur vocari. Hæc est filia de qua supra dictum est: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Quæ autem supergressæ sunt sex dies mundi, & futura regna suspirant, Reginæ appellantur. Si qua verò circumcisionem quidem habet octavæ diei, sed adhuc non venit ad nuptias, hæc concubina vocatur. Diversa autem multitudo credentium, quæ necdum potest sponsi amplexibus copulari, nec Deo filios parere, adolescentula dicitur. Ego puto de istiusmodi virginibus quæ sequuntur Ecclesiam, & in primo ponuntur gradu; has esse omnes, quæ in virginitate corporis & animi perseverant. Proximas autem & amicas, viduas esse, & in matrimonio continentes: quæ omnes *cum lætitia & exultatione ducuntur in templum, & in thalamum Regis. In templum, quasi Sacerdotes Dei: in thalamum, quasi sponsæ Regis, & sponsi.* Hoc templum in fine istius libri melius explanabimus, si Dominus dederit com meatum.

Nunc quod cœpimus explanemus. Hos quos supra diximus multa membra, sed unum corpus, una vita Sanctorum omnium, sed secundum laborem diversa sunt merita præmiorum. O Ecclesia! filii tui, quos genuisti tibi, vertentur in patres tuos, cum de discipulis feceris eos Magistros, & in sacerdotali gradu omnium testimonio conlocaveris. *Nati sunt tibi filii: constitues eos Principes super omnem terram:* Id est, Sacerdotes Sanctos per universum mundum. *Memores erunt nominis tui in omni progenie & generatione,* id est, omnis omninò Christianitas, quæ in Ecclesia fuerit, confitebitur & laudabit Dominum in æternum, & in sæculum sæculi, ut semel arrepta bella non deserat &

& super hostium strages victor incedens, præparet sibi regnum in his quos de diaboli eripiens potestate suo copulavit imperio, & dicat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Nullique dubium, veritatem & modestiam & justitiam Christum appellari, qui dicit: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Et: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et: *Qui factus nobis est à Deo justitia, & redemptio, & sanctitas.* Hæc autem universa dicuntur in corpore, ut exigantur in membris. Victoria Domini servorum triumphus est. Magistri eruditio, discipulorum profectus. Quæritur autem, quomodo *pulchrior sit cunctis filiis hominum*, de quo legimus in Isaia: *Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, sed erat species ejus inhonorata, & deficiens à filiis hominum: homo in plaga positus, sciensque ferre infirmitatem: quia avertit faciem suam:* nec statim Scriptura dissonare videatur: quia ibi ignobilitas corporis propter flagella & sputa commemoratur, & propter alapas, & clavos, & injurias patibuli: hic pulchritudo virtutum in sacro & venerando corpore. Non quod divinitas Christi hominibus comparata formosior sit; hæc enim comparationem non habet; sed quod absque passionibus crucis universis pulchrior sit: virgo de virgine, quia *non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.* Nisi enim habuisset in vultu quiddam oculisque sidereum, numquam eum statim secuti fuissent Apostoli; nec qui ad comprehendendum eum venerunt, corruissent. Denique & in præsentis testimonio in quo ait: *Homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitatem,* reddit causas quare ista perpessus sit: *Quia avertit faciem suam,* id est, paululum divinitate subtracta corpus injuriæ de-

*Psal. 2.
v. 5.*

*Joan. 14.
v. 6.*

*Matth.
11. v. 29.*

*1. Cor. 1.
v. 30.*

*Isai. 53.
v. 2.*

Joan. 1.

dereliquit. Quidam hunc versiculum cum superioribus copulavit, ut *speciosus forma præ filiis hominum non ad Christum, sed ad calamum referatur: Diffusa est gratia in labiis tuis*. Intelligere possumus quo sensu dictum sit *effusa est gratia in labiis tuis*, id est, omnis gratiæ multitudo in labiis Salvatoris effusa est, quæ in brevi tempore totum implevit orbem. *Tamquam sponsus processit de thalamo suo. A summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*. Nam & Sancta Maria, quia conceperat eum in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. Et nota ut omnia quæ dicuntur, intelligentia ad personam ejus referas, qui adsumptus ex Maria est, quod per gratiam labiorum in æternum benedictus esse dicatur. Cui per Prophetam dictum est: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Quod nos sedem dicimus, hoc Hebræi thronum appellant. Quod hîc *Deus Deus*, dicit, *unxit te*, duas personas, ejus qui unctus est Dei, & qui unxit, intellige. Quod quidem & Mariæ Angelus nunciat: *Dabit enim ei Dominus Deus thronum David patris sui, & regnabit super domum Jacob in sæcula, & regni ejus non erit finis*. Nec putemus hoc illi esse contrarium, quod Apostolus scribens ad Corinthios ait: *Filium traditurum regnum, & subjiendum ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Non enim dixit tradet patri, ut videretur filium separari, sed tradet Deo, hoc est habitanti in adsumptione corporis Deo, *ut sit omnia in omnibus*. Et Christus, qui ante per paucas virtutes erat in singulis, per omnes in omnibus

bus commoretur. *Virga æquitatis, virga regni tui.* Virga & sceptrum insignia esse dicuntur regnantis, sicut Propheta ait: *Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Hominem qui est adsumptus intellige, cui & deferatur imperium, & qui propter dilectam justitiam, & exosam iniquitatem, regnare dicatur: Unctus esse *oleo exultationis præ participibus suis*: Quasi præmium caritatis & odii in unctione sumpturus. Docemur autem, in utramque partem, & amoris & odii, in nobis esse semina: cum ipse, qui primitias [amasse] nostrorum corporum levavit ad cælos, & justitiam dilexerit, & oderit iniquitatem. Unde & David: *Nonne odientes te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.* Participes autem Apostolos, credentesque, significat, quibus unctionis suæ vocabulum tribuit, ut ab uncto vocentur uncti, id est, Christiani. Ecce caput junctum cum membris, quod est Christus, & Apostolica Ecclesia, in quem credimus, & quem semper cum omnibus Christianis communiter una voce in Symbolo dicimus.

Isai. 11.
v. 1.Ps. 138.
v. 21.

SYMBOLUM.

Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus, qui propter nostram salutem incarnatus est de Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus est, & resurrexit tertia die à mortuis vivus. Ascendit in cælos: sedet ad dexteram Patris, & regni ejus non erit finis. Venturus est ad judicium, judicare vivos & mortuos. Credimus & in Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedentem, & Sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam, & speramus nos per eam habere remissionem peccatorum per

Trinitatis unum baptismum. Credimus & in hac carne, qua sumus resurrecturos nos in diem iudicii, cum venerit Christus iudicare vivos & mortuos, & reddere justis præmia, impiis æternæ pœnæ supplicia. Hæc est fides Apostolica quam in toto mundo tenet Ecclesia, à Sole Christo, & à duodecim horarum Apostolorum numero inluminata. Quia Ecclesia pro puritate fidei suæ lux & dies est appellata, ut Psalmista ait: *Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo.* Synagoga autem pro ignorantia sui erroris nox & tenebra est nuncupata, sicut scriptum est: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Dies diei, id est, Apostoli credentibus prædicant Salvatorem. Nox nocti indicat scientiam, id est, Judas Judæis, quem Christus habuit proditorem. Ecce in una congregatione diem esse & noctem, & hoc quod factum fuit, non sine ratione factum esse credimus. Certè Dominus omnia quæ in Evangelio scripta sunt, secundum Evangelistam uno anno dicitur compleisse. Et si solùm hoc fuit, ut Christus pateretur, & alii eum traderent; quid nobis proderat, si scriberetur in Evangelio, & legeretur in Ecclesia, si forma futuri non esset, & exinde exemplar, & auctoritas in posterum non fieret? Numquid solùm tunc erant Pharisei, de quibus dicebat discipulis, *quod dicunt vobis facite, quod faciunt ne faciatis?* Numquid solùm tunc erat Synagoga, de qua dixerat per Prophetam, quod in Apostolis erat completum, ubi ait: *Dimisi matrem vestram, & dedi ei libellum repudii?* Si hoc credendum est, ut tunc fuisset solùm, & hodie non est; quid ergo legitur prophetia, aut Apostolus, aut Evangelium in Ecclesia? Aut si solùm legere est, & non facere; quid ergo dixit in Evangelio Dominus: *Amen dico vobis,*

Ps. 117.
v. 24.

Psal. 18.
v. 3.

Matth.
23. v. 3.

Isai. 50.
v. 1.

Matth. 5.
v. 18.

bis,

bis, donec transeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Dico autem vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum? Et quia suprà dixerat: Non veni legem

Vers. 17.

solvere, sed adimplere, ecce quæ docuit, & fecit: & non solum verbis, sed & exemplis ostendit, dum discipulorum pedes lavit, & cetera. Et si ille non solvit, neque discipulis solvenda mandavit, vides quia & Pharisæi aliqua justitiæ opera, licet non mente, sed corpore, ostendebant, cum diceret: Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum.

Vers. 20.

Ego puto illorum opera sapientiam litterarum esse; aut tamen quod sanctum ostendebant, non propter aliud, nisi ut ab hominibus viderentur, quorum decimam manducabant, sicut Dominus ait: Exterminant facies suas jejunando, ut videantur ab hominibus.

Matt. 6. v. 16.

Pharisæi proprio vocabulo divisi dicuntur, eo quòd cum Saducæis inter se contrarii sint: hi sunt Scribæ. Divisi dicuntur Pharisæi, eo quòd traditionum & observationum, quod illi deuterosis vocant, justitiam præferunt, unde & divisi vocantur à populo, quasi per justitiam. Saducæi interpretantur justii: vindicant enim sibi quod non sunt. Ecce possumus nunc in Ecclesia per hoc Evangelium, quod à Christo habemus traditum, hos Pharisæos in Ecclesia comprobare. Hi sunt Sacerdotes qui desiderant primas cathedras, ut vocentur ab hominibus Magistri: qui pro alio non laborant, nisi ut ab hominibus honorentur. Et lucra adquirunt in

sæculo, non ut animas lucrentur, sed ut cupiditatem suam expleant. Est & Synagoga in Ecclesia: quod si non esset, nequaquam Salvator moneret nos, & diceret:

Matth.
10. v. 17.

Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. Ecce Ecclesia in uno loco cum Synagoga, & in esse & in opere divisa. Et quia Ecclesiam pro fide & opere firmavimus diem; & Synagogam pro ignorantia erroris firmavimus noctem; Sol in die est, & opus bonum in manifestatione, sicut scriptum est: *Lu-*

Matth.
5. v. 16.

ceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Quia verò ignorantia tenebra est, in principio

Gen. 1.
v. 2.

operum dictum est: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Abyssum jam probavimus puteum esse obscurum, id est, homines ignorantes. Super faciem ergo abyssi tenebræ erant, id est, peccati cæcitas, & ignorantia obscuritas. *Factum est vespere & mane dies unus.*

Vides vespere cum die jungere, sed unus illuminat, & unus obscurat. Unus præparat iter, & unus quietudinem; aut si iter agitur, visum oculis nullum præbetur. Et quid est nox, nisi absentia Solis? & quid est dies, nisi præsentia Solis? Qui dies & nox, viginti quatuor horarum dicitur esse, usque dum dies & nox spatia sui cursus ab oriente sole usque ad alium orientem Solem cæli volubilitate concludat. Abusivè autem unus dies est spatium ab oriente Sole usque ad occidentem. Ecce unus dies dicitur, sed per lucem & tenebras derivatur. Rectè ergo Ecclesia & Synagoga quasi uno loco laborare videntur, & in una fide esse dicuntur: sed in opere manifestantur. Quia sicut præsentia Solis dies est, & absentia Solis tenebra; ita Christus suis lumen est, sicut diabolus suis tenebra, qui est auctor mortis. Benè ergo appellavit Scriptura homi-

nes

nes sanctos *dies*, & homines peccatores *tenebras*. Et non solum de peccatis dicimus obscuritatem, sed etiam qui Scripturas Sanctas non intelligit, & aliter docet quam sunt, & ipse in tenebris est, sicut scriptum est: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris*: Quia obscura est scientia in Prophetis. Hic dies & nox unus nominatur dies, de oriente Sole, usque ad alium orientem: quia & uno viginti quatuor horarum spatio terminatur: & cui lumen deest, quando nox sit, vel dies, minime cernitur. Ita Ecclesia & Synagoga in unum quasi videntur laborare, & ignorantes quid sit lumen Ecclesiæ non possunt prospicere: & tam Sacerdotes, quam ceterus populus communem doctrinam videntur habere. Una nos communiter Ecclesia tolerat, quos benigna pietas patienter ad pœnitentiam expectat, & per eam & in ea remissionem peccatorum gratuitè condonat. Et quis stet, aut cadat, solus ipse considerat. Et Sacerdotes nequissimi pro quo, aut quare plebibus constituti sint, solus ipse pensat. Et quamquam Ecclesia zelum habeat, sed tamen semper malitia superat. Sed quæ judicare non prævalet, iudicio divino reservat, & pavens, simul & hæsitans una voce cum Apostolo clamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Ob hoc ergo una Ecclesia nuncupatur, & quid de ea sentiendum sit, quia iste scrupulus multos titillat, ausculta. Et ut aliquid tibi de Scripturis Sanctis colligam, libens adesto, & te totum ad audiendum præpara, & non tantum altè, quantum & humiliter tracta. Arca Noe typus Ecclesiæ fuit, dicente Apostolo Petro: *In Arca Noe pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos similiter*

Psal. 17.
v. 12.

Rom. II.
v. 33.

1. Petr.
3. v. 20.

nunc *baptisma salvos faciet*. Et ut in illa omnium generum animalia, ita & in hac Ecclesia universarum & gentium & morum homines sunt: ut ibi Pardus, & Hædi, & Leo, & Lupus, & Agni; ita & hic justus, & peccatores, id est, vasa aurea, & argentea cum ligneis & fictilibus morantur. Et habuit arca nidos suos: habet Ecclesia plurimas mansiones. Octo animæ hominum in arca servatæ sunt: & nos Ecclesiastes jubet dare partem septem, dare partem octo, id est, credere utrique testamento. Ideò & quidam Psalmi *Pro octava* scribuntur, & per octenos versus, qui singulis litteris subjecti sunt, in centesimo octavo decimo Psalmo, justus creditur. Beatitudines quoque quas Dominus discipulis in monte pronuntiat, Ecclesiæque declaravit, octo sunt. Et Ezechiel in ædificatione templi octonarium numerum adsumpsit. Multaque alia in hunc modum Scripturâ significata reperies. Emittitur itaque de arca corvus, & non redit; & postea pacem terræ columba denuntiat. Ita & baptisate Ecclesiæ teterrima ave expulsa, id est, diabolo, pacem terræ nostræ columba Sancti Spiritus nuntiat. A triginta cubitis incipiens, & usque ad unum cubitum paulatim decrescens, arca construitur. Similiter & Ecclesia multis gradibus consistens ad extremum Diabonis, Presbyteris, Episcopisque finitur. Periclitata est Arca in diluvio: periclitatur Ecclesia in mundo. Egressus est Noe: vineam plantavit, & bibens de ea inebriatus est. Natus quoque in carne Christus Ecclesiam plantavit, & passus est. Nudatum patrem irrisit major filius, & minor textit. Et Deum crucifixum irriserunt Judæi, & honoraverunt gentiles. Dies me deficiet, si omnia arcæ Sacramenta cum Ecclesia componens edisseram. Qui sint inter nos aquilæ, qui

columbæ, qui leones, qui cervi, qui vermiculi, qui serpentes, quoad præsens negotium pertinet, breviter expediam. Non solum in Ecclesia morantur oves, nec mundæ aves tantum volitant, sed frumentum in agro seritur, & inter virentia culta, lappæ, tribulique, & steriles dominantur avenæ. Quid faciet agricola? Evellet lolium? sed tota pariter messis evertitur. Quotidie industria rusticana aves sonitu expellit, imaginibus exterret: hinc flagello crepitat: hinc formidines tendit. Attamen aut veloces capræ, aut lascivus onager incurrit. Hinc in effossa horrea mures frumenta comportant: hinc ferventi multitudine segetem formica populatur. Ita se res habet: nemo securum agrum possidet. Dormiente Patrefamilias inimicus homo zizania superseminavit. Ad quam eradicandam cum discipuli ire proponerent, Dominus noster prohibuit, sibi reservans palearum & frumenti separationem. Hæc sunt vasa iræ, & vasa misericordiæ, quæ in domo Dei ab Apostolo prædicuntur. Veniet ergo dies, quando thesauro Ecclesiæ aperto, proferet Dominus vasa iræ suæ. Quibus exeuntibus Sancti dicent: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Nemo potest Christi victoriam sibi adsumere. Nemo ante iudicii diem de hominibus judicare. Si jam mundata est Ecclesia, quid Domino reservamus? Est via quæ videtur esse apud homines recta: novissima autem ejus veniunt in profundum inferni. In hoc errore iudicii quæ potest certa esse sententia?

Matth.
13. v. 28.

Rom. 9.
v. 22.

1. Joan. 2
v. 17.

Prov. 14.
v. 12.

DE ANTICHRISTO QUALITER

Imperatorem tollat Romanum, & ipse sumet Imperium:

BEatus enim Augustinus in libro Civitatis Dei sententiam exponit Pauli Apostoli, ubi Thessalonicenses recorrigit, quia putabant quòd tempore Pauli Apostoli essent dies iudicii: Scripserat enim eis in prima Epistola dicens de adventu Domini: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui antea dormierunt: Et paulo post: Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus: quamobrem secundam scribit Epistolam, quam Beatus Augustinus ita exponens ait: "Multas Evangelicas Apostolicasque sententias de divino isto iudicio novissimo video mihi esse prætereundas, ne hoc volumen in nimiam longitudinem provolvatur: Sed nullo modo est prætereundus Apostolus Paulus, qui scribens ad Thessalonicenses:" Rogamus, inquit, vos Fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi & nostræ Congregationis in ipsum, ut non cito moveamini mente, neque perterreamini, neque per spiritum, neque per verbum, neque per Epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Nequis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit refuga primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui adversatur, & superextollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostentans se tamquam sit Deus. Non retinetis in memoria quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut re-*

1. adThes.
v. 14.

Lib. 20.
cap. 19.

2. adThes.
2.

revelatur in suo tempore. Jam enim mysterium iniqui-
tatis operatur : tantum qui modo tenet , teneat , do-
nec de medio fiat. Et tunc revelabitur iniquus , quem
Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui,
& evacuabit illuminatione præsentis suæ eum cujus
est præsentia secundum operationem Satanae in omni
virtute , & signis , & prodigiis mendacii , & omni se-
ductione iniquitatis his qui pereunt , pro eo quod di-
lectionem veritatis non receperunt , ut salvi fierent. Et
ideo mittet illis Deus operationem erroris , ut credant
mendacio , & judicentur omnes qui non crediderunt
veritati , sed consenserunt iniquitati. "Nulli dubium
 "est eum de Antichristo ista dixisse , diemque judi-
 "cii prænotasse (hunc enim appellat diem Domini) non
 "esse venturum , nisi ille prius venerit , quem refu-
 "gam vocat , utique de Domino Deo. Quod si de
 "omnibus impiis meritò dici potest ; quanto magis de
 "isto ? sed in quo templo Dei sit sessurus , incertum
 "est , utrùm in illa ruina templi quod à Salomone Re-
 "ge constructum est , an verò in Ecclesia ? Non enim
 "templum alicujus idoli , aut dæmonis , templum Dei
 "Apostolus diceret. Unde nonnulli non ipsum Prin-
 "cipem , sed universum quodammodo corpus ejus , id
 "est , pertinentem ad eum omnium multitudinem , si-
 "mùl cum ipso suo principe hoc loco intelligi Anti-
 "christum volunt : rectiusque putant etiam latinè di-
 "ci , sicut in græco est , ut in templo Dei sedeat , tam-
 "quam ipse sit templum Dei , quod est Ecclesia. Sicut
 "dicimus : Sedet in amico , id est , velut amicus , vel
 "si quid aliud de isto locutionis genere dici solet.
 "Quod autem ait : *Et nunc quid detineat scitis* , id
 "est , quid sit in mora , quæ causa sit dilationis ejus ,
 "ut reveletur in suo tempore , scitis. Quoniam scire
 "illos

„illos dixit apertè hoc , quod dicere noluit. Et ideò
 „nos , qui nescimus quod illi sciebant , pervenire cum
 „labore ad id quod sensit Apostolus cupimus , nec va-
 „lemus. Præsertim & illa , quæ addidit , hunc sensum
 „faciunt obscuriorem. Nam quid est : *Jam enim mys-*
 „*terium iniquitatis operatur : tantum qui modo tenet,*
 „*teneat , donec de medio fiat , & tunc revelabitur ini-*
 „*quus ?* Ego prorsus , quid dixerit , me fateor igno-
 „rare. Suspiciones tamen hominum , quas vel audire
 „vel legere potui , non tacebo. Quidam putant hoc
 „de Imperio dictum fuisse Romano : & propterea Pau-
 „lum Apostolum non id apertè scribere voluisse , ne
 „calumniam videlicet incurreret , quòd Romano Impe-
 „rio male optaverit , cum speraretur æternum ; ut hoc
 „quod dixit , *Jam enim mysterium iniquitatis opera-*
 „*tur* , Neronem voluerit intelligi , cujus jam facta ve-
 „lut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum
 „resurrecturum , & futurum Antichristum suspiciantur.
 „Alii verò nec occisum putant , sed subtractum potius ,
 „ut putaretur occisus ; & vivum occultari in vigore
 „ipsius ætatis , in qua fuit cum crederetur extinctus ;
 „donec suo tempore reveletur , & restituatur in reg-
 „num. Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta
 „præsumptio. Illud tamen quod ait Apostolus : *Tan-*
 „*tum qui modo tenet , teneat , donec de medio fiat* , non
 „absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum ,
 „tamquam dictum sit : Tantum qui modo imperat , im-
 „peret donec de medio fiat , id est , de medio tollatur ;
 „& tunc revelabitur iniquus ; quem significare Antichris-
 „tum , nullus ambigit.” *Aug. de Civit. lib.20. cap.19.*

„illos
 „IN-

INCIPIŢ EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ
 Historiæ Ecclesiæ in libro secundo.

A Ngelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Sub unius appellatione Angeli, omnium Sanctorum numerum signat. Ephesi autem quod est voluntas, sive consilium meum, catholicam, ut superius memoravimus, narrat Ecclesiam, cui ista loqui manifestat: *Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Id est, qui Sanctorum animas in manu continet sua, & in medio Ecclesiarum suarum miraculis & virtutibus graditur, & in potestatis magnitudine conversatur. Ad ipsam autem Ecclesiam dicit: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam.* Cognoscere se asserit bonæ operationis effectum, & laboris & studii spiritualis curam, & patientiam per quam sustinet tentationem, vel superat. Et conlaudat puritatem Ecclesiæ suæ iudicio veritatis: de qua Ecclesia etiam Isaias loquitur: *Lauda sterilis, quæ non parit: decanta laudem, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum.* De cujus labore Ecclesiæ dicitur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Cui etiam in præsentī loco Dominus dicit: *Et quia non potes sustinere malos homines, & tentasti eos: qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & invenisti eos mendaces; & patientiam habes, & sustinisti propter nomen meum, & non defecisti.* Hoc de hæreticis sine dubio dictum accipimus, quia ipsi seductores deserunt veritatem, & sunt auctores pravi mendacii. Bonos se protestantur, & ipsi deteriores dæmoniis comprobantur. Sed mendacia eorum, & per-

versitatem; catholica fides invenit; & per tolerantiam, multa sibi illata ab ipsis mala sustinuit. Hoc totum passa est propter nomen Christi, nec deficit fides ejus. Ipsi enim Ecclesiae de hæreticis dicitur per Prophetam: *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur; & omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Tentasti, inquit, eas.* Non tentantur, nisi qui intus sunt. Qui enim foris sunt, sine ullo tentamento foris esse manifesti sunt. Nec eos tentare opus est, si intus in Ecclesia non sint: quia ex fructibus, sed non ex loco cognoscuntur: de quibus Dominus ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos;* quia *non potest arbor mala fructus bonos facere.* In fructu operationem: in folio, verbum dicit. Tales cum reperti fuerint, aperte mali sunt. Non sunt isti de ipsis qui se dicunt esse Apostolos, & non sunt: quia illi qui se dicunt Apostolos, quasi Domino ministrare videntur: sed tamen in factis, sibi & non Domino ministrant. Sed nobis solerter inquirendum est, qui sunt qui Domino ministrant? Neque enim omnes qui legunt, omnes qui prædicant, omnes qui propria tribuunt, omnes qui per carnis abstinentiam corpus castigant, Domino ministrant. Qui enim legendo, atque prædicando, gloriam propriam quærunt, largiendo quæ habent, & corpus in abstinentia macerando, laudes recipere ab hominibus appetunt; isti sibi & non Domino ministrant. Quia contra per Psalmistam Dominus dicit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Habet enim maculam in via, qui in bono opere quod agit, terrenæ gloriæ sibi præmium proponit: qui in hoc mundo recipere mercedem requirit, & foedat in conspectu Dei speciem boni operis maculâ pravæ intentionis. Fortasse etenim qui dis-

Isai. 54.
v. 17.

Matth. 7.
v. 16.

Ex Greg.
in Eze-
ch. lib. 2.
Hom. 10.

Ps. 100.
v. 6.

disciplinæ studio intentus fervet, culpas delinquentium resecat: qui tamen ad hæc agenda, non ex Omnipotentis Dei amore, sed zelo proprio ducitur; sibi in his, & non Domino ministrat. Alius ne asper esse videatur, multa leniter tolerat, quæ pravè perpetrantur. Is itaque, quia videri pro Domino districtus non vult, per lenitatis suæ studium sibi & non Domino ministrat. Restat ergo, sive in verbi ministerio fatigemur, seu indigentibus nostra largiamur, sive per abstinentiam carnem domemus, seu zelo moveamur, sive per patientiam aliquando leniter prava toleremus; ut nos summo pre debeamus intentionem nostram discutere, quatenus omne quod facimus, ne in his quæ agimus, nobis potius, quam Domino, ministremus. Non enim Domino, sed sibi ministrabant, de quibus Paulus dicebat: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesuchristi.* Idem verò Paulus cum electis fratribus non sibi ministrare, sed Domino & vivendo & moriendo festinabat, dicens: *Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Sibi enim Sancti nec vivunt, sibi nec moriuntur, qui per omne quod agunt, ad lucra spiritualia anhelant, atque orando, prædicando, sanctis operibus insistendo, cælestis patriæ cives multiplicare desiderant. Sibi minimè moriuntur, quia in conspectu hominum Deum de sua morte glorificant, ad quem pervenire etiam moriendo festinant. Pensemus itaque in morte Sanctorum non quantum eorum opprobrium ab infidelibus fuit, sed quanta laus Domini in corda fidelium excrevit; qui si suam laudem quærerent, profecto pati tanta impropria in morte timuissent: sed

nemo nostrum sibi vivit, nemo sibi moritur, qui suam gloriam nec vivendo, nec moriendo quaesierunt. Sed non est laudis quod dixit: *Scio, quia non potes portare malos*, sed contestatio infirmitatis. In eo verò laus, quod dixit: *Non potes, & sustinuisti propter nomen meum*, laudavit inbecillitatem humanam in tolerandis falsis fratribus, de Dei timore patientiae virtutem per humilitatem caritatis tenere, ut secundum Domini praeceptum sciret à quibus caveret. Et patientiam ait habuit, ut ingemiscens & tristis omnia quae secundum cathedram Moysi, id est, falsos & carnales Sacerdotes, qui non pro Deo, sed pro saeculi honore cathedrae Moysi adplicantur, & primos discubitus, & primas cathedras in Ecclesia tenere delectantur. Quos in Evangelio veritas Pharisaeos solet nominare, ab eorum tamen fructibus abstinere; & quod ab eis audirent, custodirent, & facerent. Sic Apostolus tentare malos, & ab eorum operibus abstinere mandat, dicens: *Probate autem quid sit placitum Deo; & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite*, id est, non taceatis: *quae enim ab ipsis occultè fiunt, turpe est dicere*. Hæc mandat Apostolus pro falsis Apostolis. Parti verò Angeli sic dicit: *Sed habeo adversus te, quod caritatem tuam primam reliquisti*. Omnem peccatorum personam assumpsit, qui in Ecclesia Catholica positi variis erroribus obligantur. Et causari cum eis ostendit, quod priorum fidei caritatem obliti, multis sunt vitiorum laqueis occupati. Absit enim, ut eidem parti dicat: *Habeo adversus te, quam laudat, cui dicit: Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, nec defecisti*. Unde & verum est, & convenienter, ut qui patientiam habet, nec deficit, dilectionem derelinque-

*Ephes. 5.
v. 11.*

re non potest, cum Deus dilectio sit. Unde manifestum est in uno corpore duas partes ostendere, unam perseverantem, alteram transgredientem, cui dicit: *Memento unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Similiter & Dominus per Prophetam dicit: *Reduc me in memoriam, & judicemur simul: narra si quid habes ut justificeris.* Dum enim meminisse nos vult, casus, quibus male corruimus, admonet, ne denuo corruamus. Et ut purgentur vitia quæ incurrimus, iter quo ad eum veniatur ostendit, dum dicit: *Age pœnitentiam*, id est, lacrymis ablue delicta tua. Sic peccatrix illa sub Ecclesiæ typo lacrymis lavit pedes Jesu, & capillis extersit. Et post pœnitentiam quid faciat, instigat, & commonet: *Et prima opera fac.* Aut bonitate præcipua, aut quæ in primæ conversionis ardore conceperas, ne dicatur tibi, si in aliquo cecideris, *memor esto unde cecideris*: ac si apertè dicat: Vide unde cecidisti, aut quid hodie peccati contraxisti, si opere, si sermone, si gastrimargiæ, si gulæ voracitatem habuisti, si in fornicationem carnis stimulo incitatus es, si cupiditatis, si avaritiæ face succensus, si simulacrum, quod est idolum, in occulto conscientiæ tuæ conlocasti, si iracundia & furore contra fratrem excitatus, nebula in corde remansit, si in vanagloria mentem elevasti, si superbiæ tumorem habuisti. Quod si in aliquo te cognoscis cecidisse, increpat tibi, & dicit semper: *Memento unde cecideris.* Qui enim cadit, de alto cadit. Ideò dixit *unde*. Non est major ruina, quam qui à caritate discedit: quia sicut superbia est princeps omnium malorum, ita caritas principatum tenet omnium bonorum. Qui enim caritatem non habet, quamvis videatur bona facere, nihil in se boni habet. Ideò dixit *unde cecideris.*

Isai. 43.
v. 26.

Luc. 7.
v. 44.

Quoniam omnimodò usque ad mortem amoris opera exercenda sunt, quod est principale mandatum, sine quo nemo catholicorum Deum videbit unquam. Si vult, & aliquid horum, quæ supradiximus, fortiter teneatur, totum subruitur si caritas minuitur: *quia caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Et quid prodest, si ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas semper Deo gratias, ad orationem sæpè procedas? Nihil tibi prodest, si in uno te conspicias, & in aliud oculos claudas. Et quid prodest, si contra hostium insidias pene tota civitas cautè custoditur, si unum foramen apertum relinquitur unde ab hostibus intretur? Quid ergo prodest custodia, quæ ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per negligentiam loci unius aperitur? Dicatur ergo: *Memento unde cecideris.* Quia duobus modis in Ecclesia omnis lex in uno sermone completur, id est, in caritate Dei & proximi. Qui adhuc malis cogitationibus irritatur, à caritate Dei discedere dicitur: & qui fratrem in aliquo lædit, à caritate proximi alienatur: & in utroque de alto cadere dicitur. Inde dicitur, *unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Ac si apertè dicat, de die in diem semper incipe pœnitere, ita ut tunc te dicas incipere, quando & finire.

Quod si non feceris, venio tibi cito; & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Quid est movere candelabrum, nisi avertere faciem? auferre custodiam? Quia sine intuitu altissimi, sine protectione Dei fides nostra stabilis esse non pœvalet. Unde & Propheta dicit: *Dilatasti gressus meos* Psal. 17. v. 37. *subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Et supra: *Posuisti ut arcum cereum brachia mea, & dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* Et iterùm: *Nisi* Psal. 93. v. 17.

Dominus adjuvisset me, paulominus in inferno habitaverat anima mea. Movet ergo candelabrum fidei nostræ, & extinguit lucernam confessionis nostræ, quando avertit faciem suam à nobis. Quod ait, *nisi pœnitentiam egeris*; quam pœnitentiam aget citò caro, si non à conditore suscipiat adminiculum? Quis humor potest ex ariditate carnis profluere lacrymarum, nisi Domini miseratione compunctum cor Sancti Spiritus inroret adventus? Utique candelabrum dicit movere, quem jubet agere pœnitentiam. Jam supradiximus in priori libro, quòd Angelus & candelabrum unum est. Cujus partem dicit non auferre, sed de loco suo movere, id est, quidquid pars amittit, ut qui habet detur ei, & abundet: & qui non habet, hoc quod videtur habere, auferatur ei; & inutilem servum mittat in tenebras exteriores. Hunc servum omne præpositorum corpus, id est, Episcoporum malorum, dicit, ad cujus intuitum omnia suæ membra Ecclesiæ pendent: sicut & alio loco dicit de eodem servo, quem constituit super familiam suam, ut det illi Scripturarum cibum in tempore: quia beatum dicit quem sic invenerit facientem, eo quod super omnia bona sua constituat eum. Semper enim in Ecclesia in hac admonitione duas partes esse cognosce: pars enim licet illic sit donec dividatur, propriam tamen salutem & omne candelabri lumen amisit: & si gratiæ carismatibus honoratus est, sibi mortuus est; & quod in illo vivit, alienum est. Ista pars est, quam semper increpat. Tamen altera est, quam laudat; quam Ecclesiam supra petram dicimus esse fundatam, cui dicit: *Sed hæc habes, quod odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Nicolaita enim interpretatur *effusio*, vel stultitia. Ecclesiæ languentis, quod de hæreticis non immerito dixisse sentitur. Qui

Matth.
24. v. 45.

effusi ab hydria veritatis, in limum sunt mendacii pro-
 voluti. De hac effusione in lege scribitur: *Effusus es* ^{Gen. 49.}
sicut aqua, non crescas. Est manifestè & stultitia lan- ^{v. 4.}
 guentis Ecclesiæ hæreticorum dogma perversum, quia
 non ad sanitatem adducunt populi cicatricem, sed
 maximis languoribus plebes afficiunt, stulta de Deo
 sentientes, & stultis se præoccupant sententiis, de qui-
 bus scriptum est: *Sanabant contritionem populi mei ad* ^{Jerem. 6.}
ignominiam dicentes: Pax, pax, cum non esset pax. ^{v. 14.}
 Nam quomodo potest odisse facta Nicolaitarum, qui
 dilectionem, id est, Deum dereliquit? Opera enim Ni-
 colaitarum idololatria, & fornicatio, qui ab Apostolis
 cum Stephano & ceteris constitutus Diaconus est, qui
 propter pulchritudinem reliquit uxorem, ut, qui vellet,
 eam acciperet; versaque est in stuprum talis consue-
 tudo, ut invicem conjugia mutarentur. Et in tantum
 turpia & nefanda excogitavit & prædicavit, ita ut neo-
 phytarum hæresis, id est, indocti Sacerdotes & Levi-
 tæ, ex illa radice nascantur: quos Apostolus reprobat,
 & ne tales ad sacrificium accedant, discipulum admo-
 net, dicens: *Nemini cito manus imposueris, & neque* ^{1. Tim. 5.}
communicaveris peccatis alienis. Et quid est cito ma- ^{v. 27.}
 nus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tem-
 pus examinis, ante laboris meritum, ante experientiam
 disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere? Et quid
 etiam est, communicare peccatis alienis, nisi talem or-
 dinare Episcopum insipientem, qualis & ille est qui
 non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi com-
 parat fructum qui rectum servat in eligendo Sacerdo-
 tem judicium; ita gravissimè se ipsum afficit damno,
 qui tales constituit, quales non merentur esse Sacerdo-
 tes. Bene ergo dicit: *Odisti facta Nicolaitarum, quæ*
& ego odi. Hic apertè se amicum Deo negat, qui ejus

placet inimico. Denique ut per secretum se hoc manifestet narrasse mysterium, dicit: *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.* Et Dominus in *Joan. 6. v. 64.* Evangelio ait: *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Ergo qui adaptam fidei habet aurem, qui per credulitatem bonam interioris hominis acutissimum præstat auditum, ipse divini eloquii audire poterit verba, quæ Sanctus loquitur Spiritus.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Prænuntiato labore Ecclesiæ, hæreticorum perversitate descripta, delinquentes ad pœnitentiam cohortatus, præmia post laborem vincentibus repromittit; ut lignum vitæ, pro quo Adam de Paradiso expulsus est, ne ab illo quid sumeret, illic introeuntes Paradiso libere sumendo accipiant. Sic ait: *quod est in Paradiso Dei mei: Ubi auræ vitam aspirant, ubi præstant secreta virtutem, & pomum ligni vitæ æternitatem immarcescibilem subministrat.* Benè ergo dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Paradisus Ecclesia est, quam nemo ingreditur, nisi qui Christum pura mente cognoverit, & ejus vestigia ex tota mente, toto corde, tota fortitudine imitaverit, & proximum sicut se ipsum dilexerit. Paradisus enim Ecclesiæ figura est. Et primus homo Adam umbra futuri est. Et secundus Adam Christus, Sol justitiæ est, qui umbram cæcitatæ nostræ inluminat. Et primus Adam, ut ait Apostolus, *de terra terrenus* est: Secundus Adam *de Cælo cælestis* est. Modò verò in Ecclesia duo Adam sunt, terrenus & cælestis: & qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Quia Adam bipartitus est, vetus & novus. Vetus est cui lignum vitæ non datur adtingere, quia noluit de-

po-

ponere veterem hominem, id est, carnalem. Novus Adam est qui Christo victori mixtus est, & habet ligni vitæ potestatem, qui & semper habuit, & si necdum corpore, spiritu tamen Christo mixtus est. Quia si victentibus lignum vitæ promittitur, & ante in Christo multi vicerunt: quia non omnes mortui sunt, sed qui peccaverunt in similitudine transgressionis Adæ: ceteri verò qui in imagine & in similitudine Dei permanserunt, aut recordati sunt, vivere dicuntur. Vivunt, quia non est Deus mortuorum, sed vivorum. Duæ itaque partes in Adam, & ex Adam ad notitiam futuri præfiguratae sunt: una quæ se peccasse confessa est, & vivit; altera, quæ non respicit à diaboli laqueis, à quo capta est, cui iter ligni vitalis absconsum est. Quas partes statim ut generare cœpit, utramque Deo sacrificia offerentem (1): sed alteram placentem: alteram displicentem. Alteram prostratam & simplicem, sacrificium humiliter offerentem, fratris manu morientem: alteram obtusam, id est, sine sensu, & invidiose offerentem, quia post occisionem fratris extitit contumax. Utriusque autem partis successio & progenies in Cain & Abel in Scripturis declaratur. Sic enim dicit Dominus: *Maledictus eris tu in terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua.* Terram hominem dicit, quisquis à Cain parricidia, vel odia fratris exercenda perficiendaque suscepit. In Cain & Abel omnem omnino populum cognosce intra Ecclesiam constitutum: unum bonum, alterum malum: unum qui facit injurias, alterum qui patitur. Hæc est civitas, quam fundavit nomine filii sui. Quid est ergo quod Cain civitatem nomine filii

(1) *Supple cernimus, aut quid simile.*

sui construxit, nisi, quos noveris, impios in hac vita esse fundatos? Initium & finem habent terrenum, ubi nihil plus, quam quod videtur, speratur. Sanctos verò hospites esse & peregrinos in terris. Unde & Abel tamquam peregrinus in terris, id est, populus Sanctus non facit civitatem: superna est enim eorum civitas, quamvis hic pareant cives (1), in quibus peregrinantur, donec regni ejus tempus adveniat. Abel verò successioni sic dicit: *Exsuscitavit mihi Deus semen alterum pro Abel, quem occidit Cain.* Hanc successionem dicit Ecclesiam. Vide ergo quia non Deus totum Adam vetuit à ligno vitæ, sed partem. Adam enim vivit in æternum: quod illi sine gustu ligni evenire non posset. Gustavit autem, errorem confitendo: quod si figura futuri non esset, sed solus Adam; ut quid Dominus post sententiam mortis à ligno vitæ separavit aditum, ne gustans viveret? Non enim veritus est Dominus, ne contra sententiam suam posset vivere, etiam si totam vitæ arborem comedisset; sed hoc in figura factum est, ut nobis in Ecclesia veritas pateret. Nam corpus & sanguis Domini vita est, sicut idem dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Numquid omnis, qui communicat, habet vitam æternam? Non: quia scriptum est: *Qui manducat indignè, & bibit, corpus & sanguinem Domini, judicium sibi manducat, & bibit.* Pars enim quæ se probat, & scit quemadmodum manducet, ipsa solum lignum vitæ manducat. Pars verò quæ excæcata est, nec vitæ lumen Christum adtendit, licet manducet hunc panem, proculdubiò lignum vitæ absconditum habet. Sicut ad

Job

(1) F. civitates.

Job dicit Deus : *Numquid non tu abscondisti ab in-* Job 38.
quis lumen? Istit ergo Deus terrena sectantibus lucra, v. 15.
 aut certè facientibus tepidam vitam, celat lignum vitæ,
 id est, veram crucem, ne sicut scriptum est : *Ocu-* Isai. 6.
lis videant, & corde intelligant, & conversi curentur. v. 10.
 Contra hos Dei Paradisus muro igneo clauditur,
 sicut in Zacharia dicit de Ecclesia : *Ego eis murus* Zachar.
ignis in circuitu, dicit Dominus; in gloriam ero in 2. v. 5.
medio ejus. Lignum vitæ in Ecclesia esse, apertiùs in
 hoc libro manifestat in Ecclesiæ descriptione. Et Pa-
 radisum & Ecclesiam & lignum vitæ dignam pœni-
 tentiam, id est, Crucem Christi, quam multi por-
 tare videntur, sed Dominum non sequuntur. Ex utra-
 que, inquit, parte fluminis, lignum vitæ faciens fruc-
 tus duodecim per singulos menses : hunc Dominus
 Paradisum, & lignum ejus, vincentibus tribuit. Para-
 disus Ecclesia est. Lignum vitæ Christus crucifixus
 est : ex utraque parte fluminis vel duo Testamenta
 legis & Evangelii intellige, vel undam baptismi. Duo-
 decim menses, duodecim Apostoli sunt. Hæc vincen-
 tibus tribuit : & inimicis crucis suæ, quorum Deus
 venter est, & Christus in suis cubilibus alter nescio
 quis, quia non ille noster crucifixus, sed eum quem
 in bestia caput velut occisum adorant, id est, quasi
 Christum crucifixum, quem solo nomine nobiscum
 communem habent, & factis negant ; istis omninò
 hoc lignum vitæ abscondit. *Explicit Ecclesia prima.*

INCIPIT ECCLESIA SECUNDA.

“ **A** Ngelo Smirnæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit pri- Cap. II.
 mus & novissimus, qui fuit mortuus & vivit. v. 8.
 “ Scio tribulationem tuam, & paupertatem : sed di-

„ves es, & blasphemaris ab his qui se dicunt Ju-
 „dæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Sata-
 „næ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce in-
 „cipit diabolus mittere quosdam ex vobis in carce-
 „re, ut tentemini. Et habebitis tribulationem diebus
 „decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi
 „coronam vitæ. Qui habet aures audiendi audiat quid
 „spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit non lædetur à
 „morte secunda.” *Explicit Historia.*

I N C I P I T E X P L A N A T I O

suprascriptæ Ecclesiæ in libro secundo.

A Ngelo *Smirnæ Ecclesiæ scribe.* Smirnæ, quod
 est canticum eorum qui pulchrè confessi sunt
 Catholicam veritatem; his loquitur Sanctus Spiritus,
 dicens: *Hæc dicit primus & novissimus qui fuit*
mortuus, & vivit: Scio tribulationem tuam, & pau-
perstatem, sed dives es. Conlaudat opera Ecclesiæ
 suæ, quod per multas tribulationes contendat ad reg-
 num. Paupertatis elegantiam præfert, quod potenter
 præsentia contemnit, ut futura mercetur. *Sed dives*
es. Abundans fide & gratiarum ubertate completa ille
 est, scilicet, humilis, qui dominicum observat elo-
 quium, quod dicit: *Beati pauperes spiritu.* Qui spi-
 ritu suo pauper est, Dei spiritu dives est. Nam qui
 spiritu suo dives est, flatu quodam elationis inflatus,
 ut uter est. Sciendum verò est, quia graviores culpæ
 sunt, quæ superducta specie virtutes imitantur, quia
 illæ in aperto cognitæ, animum in confusionem
 dejiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt. Istæ verò
 non solum in pœnitentiam non humiliant, sed etiam
 mentem operantis elevant, dum virtutes putantur. Ec-
 cle-

Matth. 5.
v. 3.

Ex Greg.
in Eze-
ch. lib. 1.
Hom. 5.
num. 4.

clesiæ parti de istis dicit : *Et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.* Multam contumeliam Ecclesia ab his sæpè sustinet, qui confiteri se asserunt Deum, & non confitentur. Sed congregatio ipsorum diabolo auctore colligitur. Hic quoque ostenditur, non speciali tantùm Ecclesiæ loqui, quia non Smirnæ tantùm fuerunt aut sunt Judæi blasphemantes. Ostendit præterea foris esse istos Judæos, id est, Christianos malos, sicut supra dixit de Apostolis falsis. Potuit enim Christianos dixisse Judæos, quia judæum nomen religiosum est. Juda enim hebraicè, latinè confessio dicitur. *Qui se dicunt Judæos*, id est, confessores. Quod si non Judæos adfirmaret, non diceret, qui se dicunt, & non sunt. Nos enim sumus circumcisio : nos sumus Judæi, qui Christum habemus Leonem de tribu Juda. Non enim qui palam Judæus est, id est, palam religiosus, nec palam carnis circumcisio, id est, ut ab hominibus videatur ; ut quod facit, pro laude humana faciat ; sed qui in secreto, Judæus est, id est, solùm Christo placeat, non hominibus, sicut scriptum est : *Omnis gloria filix Regis ab intus.* Si autem solùm diceret *qui se dicunt Judæos*, & non addidisset *Synagoga Satanæ*, nullo modo poteramus eos foras asserere, quamvis dixisset *blasphemantes*. Ostendit præterea foris esse istos Judæos, dùm non dicit *tentasti eos, qui se dicunt Judæos* : Sicut supra dixit *de Apostolis, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt.* Ita & hoc loco potuit Christianos dixisse Judæos qui sunt Synagoga Satanæ. Hæc Synagoga in Prologo septem Ecclesiarum, si scire vis quid sit, cum Ecclesia, plenissimè cognoscet. Nunc verò eam derivare non vacat, ne dum discussa replicamus, tardiùs ad indiscussa

*Psal. 44.
v. 14.*

veniamus. Dominus enim noster corpori suo exemplum relinquens in medio Synagogæ Sancti Israel, in medio Jerusalem pertulit Jerusalem interficientem Prophetas. Pertulit & Synagogam Satanæ, quæ est Sodoma, & Ægyptus; quæ est congregatio & Synagoga: sive quod inter nos congregationem in unum habemus, quia Synagoga multorum est, Ecclesia verò paucorum, sub uno Ecclesiam nomine accepit, & à piis (1) & perversis doctoribus una Ecclesia nominatur. Sed si una est, cur inter nos contendimus? Cur illi nos dicunt Antichristos, & nos illos? Sed designavit iste Joannes in sua Epistola Antichristos, ubi ait: *Quicumque confesus fuerit, quòd Jesus non est Christus, ipse est Antichristus.* Jam ergo quæramus quis neget; & non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur Jesum esse Christum. Quiescat paululum lingua: interrogemus, si invenerimus hoc. Si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio non tantum in lingua fit, sed factis, certè invenimus multos Christianos Antichristos, qui ore profitentur Christum, & mores dissentiunt à Christo. Ubi invenimus hoc in Scriptura? Paulum audi Apostolum.

Ad Tit. De talibus cum loqueretur ait: *Confitentur enim nosse se Deum, factis autem negant.* Invenimus & istos Antichristos. Quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Non audio quid consonet, sed audio quid vivat. Opera locuntur, & verba requirimus? Quis enim malus non bene vult loqui? Sed quid dicit de talibus Dominus? Hypocritæ, *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Voces vestras ad aures meas affertis, ego cogitationes vestras inspicio: & voluntatem malam

1. *Joan.*
2. v. 12.

Ad Tit.
1. v. 16.

Matth.
12. v. 34.

(1) *Burg. Cod. puis. Alter pravis: deest in Æmil. corrupti omnes.*

Iam ibi video , & falsos fructus ostenditis. Novi quid unde colligam : non colligo de tribulis ficus : non colligo de spinis ubas. Unaquæque arbor à fructu suo cognoscitur. Magis mendax est Antichristus , qui ore profitetur Jesum esse Christum , & factis negat. Ideò mendax , quia aliud loquitur , aliud agit. Dominus enim noster corpori suo , id est , Ecclesiæ exemplum relinquens in medio Synagogæ Sancti Israel , id est , videntis Deum , in medio Sanctæ Jerusalem protulit dicens: *Jerusalem , Jerusalem , quæ occidis Prophetas , & lapidas eos qui ad te missi sunt.* Intelligas de Synagoga Satanæ dixisse , quæ est Sodoma & Ægyptus , ubi testes ejus , id est , qui Deo serviunt , omni die crucifiguntur. Sodoma enim post saturitatem vertitur in cinerem , liberato Lot cum filiabus suis. Sed quid est quod à quinquaginta justis usque ad decem si inveniret Dominus , civitatem esse salvandam ? Numerum quippe quinquagenarium propter pœnitentiæ signum posuit , si forte converterentur & salvarentur. Quinquagenarius semper ad pœnitentiam refertur. Unde & David in eodem numero Psalmum scribit pœnitentiæ. Proinde quando aspicit Deus delinquentium vitam nequaquam velle reverti ad pœnitentiam , quam quinquagenarius numerus præfiguratur , confestim ardorem immoderatæ luxuriæ compescit igne gehennæ. Usque ad decem autem justos non periisse Sodomam dixit , quia si in quemlibet per decem præceptorum custodiam Christi nomen invenitur , iste non perit. Denarii enim numeri figura perfectus numerus est , & crucem Christi demonstrat. Nam & quod quinque sunt civitates quæ imbris igneis conflatae sunt , quid illud est nisi quod omnes qui quinque sensus corporis sui libidinosè tractaverint , illo divino incendio concremati sunt ? Ipse autem Lot ,
fra-

Matth.
23. v. 37.

Gen. 18.
v. 26.

frater Abraham , justus & hospitalis in Sodomis , qui de illo incendio , quod erat similitudo divini judicii , meruit salvus evadere , typum figurabat corporis Christi , quod in omnibus Sanctis , & nunc inter iniquos & impios gemit , quorum factis non consentit , & à quorum permixtione in sæculi finem liberabitur , illis damnatis supplicio ignis æterni. Uxor verò ejus religiosorum genus figuravit , qui per gratiam Dei vocati retrò respiciunt , & ad ea quæ dereliquerunt redire contendunt.

Luc. 9. v. 62. De quibus ipse Dominus ait : *Nemo ponens manum suam super aratrum , respiciens retrò , aptus est regno Dei.*

Gen. 19. v. 27. Unde & illa mulier prohibetur retrò respicere , per quod nobis ostenderet , non esse redeundum ad veterem vitam , qui per gratiam regenerati ultimum cupimus evadere judicium. Quod verò eadem respiciens remansit , & in sale conversa est , exemplum præstat ad condimentum fidelium , unde alii salventur. Nam nec

Luc. 17. v. 32. ipsum tacuit Christus dicens : *Mementote uxoris Lot* , scilicet ut nos tamquam sale condiret , ut non factum negligeremus , sed prudenter caveremus. Hoc enim & illam admonuit , cum in statuam salis conversa est. Illud verò quòd ipse Lot ardentem Sodomam fugiens , Segor venit , & nequaquam ad montana conscendit : (ardentem quippe Sodomam fugere est illicita carnis incendia vel mundi desideria declinare : altitudo verò est montium , speculatio perfectorum : & quia multi sunt justi , qui mundi inlecebras fugiunt , sed tamen in actione positi contemplationis apicem subire non possunt) hoc est quòd exiit quidem Lot de Sodomis , sed tamen ad montana non pervenit , quia damnabilis vita relinquitur , sed adhuc celsitudo speculationis subtiliter

Gen. 19. v. 20. non tenetur. Inde idem Lot ad Angelum dicit : *Est civitas hæc juxta , ad quam possum fugere , parva , &*
sal-

salvabor in ea : numquid non modica est , & vivet in ea anima mea? Juxtà igitur dicitur , & tamen ad salutem tuta perhibetur , quia actualis vita nec à mundi curis ex toto discreta est , nec tamen à gaudio salutis aliena. Ipse autem Lot quando filia concubuerunt cum eo , hoc significat , quòd tunc ipse Lot futurae legis videbatur gestare personam. Quam quidam ex illa lege procreati & sub lege positi male intelligendo quodammodo se inebriant , eamque non legitimè servando infelicitatis opera pariunt. *Bona est enim lex* , ut ait *Rom. 7. v. 12.* Apostolus , si quis eam legitimè custodierit. *Ægyptus* verò decem plagis percutitur , & minime corrigitur. Licet illa in *Egypto* corporaliter gesta sint , spiritualiter tamen modo geruntur in *Ecclesia*. *Ægyptus* namque sæculi forma est , sicut & *Sodoma* ; sed illa igne cremata est , ista relicta. De illa tres ab incendio evaserunt , de ista duo terram repromissionis intraverunt. *Num. 14. v. 30.* Quamquam multi exissent , sed solum duo dicuntur intrare , & hoc est quod veritas in *Evangelio* protestatur : *Multi vocati , pauci verò electi*. Duo ingrediuntur repromissionis terram , & duo accepturi sunt repromissionis caelestia regna , id est , dilectio Dei , & proximi. Tres liberati sunt de incendio in *Sodoma* , & tres liberati sunt cum venerit *Christus* in gloria judicare terram , id est , fides , spes , & caritas. *Matth. 20. v. 16.*

In *Ægypto* aquæ primum vertuntur in sanguinem. Aquæ *Ægyptiæ* in sanguinem sunt versæ , id est , erratica & lubrica *Philosophorum* dogmata : quæ meritò in sanguinem vertuntur , quia in rerum causis carnaliter sentiunt. Sed ubi *Crux Christi* mundo huic lumen veritatis ostendit , hujusmodi eum correptionibus arguit , ut ex qualitate plagarum per has decem plagas nunc in *Ecclesia* proprios agnoscat errores. In

secunda verò plaga ranæ producuntur, quibus judicari figuratè arbitramur Carmina Poetarum, qui inani quadam & inflata modulatione velut ranarum sonis & cantibus mundo huic deceptionis fabulas intulerunt. Rana est enim loquacissima vanitas. Nihil enim ad aliud animal ipsum est utile, nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit. Post hæc sciniphes producuntur. Hoc animal pennis quidem suspenditur per aerem volitans; sed ita subtile est & minutum, ut oculi visum nisi acute videntis effugiat. Corpus autem cùm insederit, acerbissimo pungit aculeo, ita ut cùm volitantem videre quis velit, statim sentiat volantem. Hoc enim animalis genus subtilitati hæreticæ comparatur, quæ subtilitè verborum aculeis animas terebrat, tantaque astutia circumvenit, ut deceptus quisque nec videat, nec intelligat unde decipiatur. Quod verò in tertio signo Magi cessarunt dicentes: *Hic digitus Dei est*; Magi illi typum hæreticorum atque animositatem habuerunt. Declarat hoc Apostolus dicens: *Sicut Jamnes, & Mambres resisterunt Moysi; sic & hi resistunt veritati, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem, sed ultra non proficient: dementia eorum manifesta erit omnibus hominibus, sicut & illorum fuit.* Hi autem, qui per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tertio defecerunt: fatentes sibi adversum esse Spiritum Sanctum, qui erat in Moyse: tertio enim loco ponitur Spiritus Sanctus qui est digitus Dei. Unde & illi deficientes in tertio signo dixerunt, *digitus Dei est hic.* Sicut autem conciliatus & placatus Sanctus Spiritus requiem præstat mitibus & humilibus corde; ita contrarius & adversarius immitibus, ac superbis inquietudinem exagitat. Quam inquietudinem

Exod. 8.
v. 19.

2. Tim. 3.
v. 8.

muscæ ille brevissimæ significaverunt, dicentes, *digitus Dei est hic*. Quarto loco Ægyptus muscis percutitur. Musca enim nimis importunum & inquietum animal est. In qua quid aliud significatur, nisi cura desideriorum carnalium? Ægyptus ergo muscis percutitur, quia eorum corda qui hoc sæculum diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur. Porro septuaginta interpretes *cynomyam*, id est, caninam muscam, posuerunt; per quam canini mores significantur. In quibus grando mentis, & importuna voluptas, & libido carnis arguitur. Potest quidem hic locus significare etiam per muscam caninam forensem hominum eloquentiam, qua veluti canes alterutro se lacerant. Jam verò quinto in loco animalium morte vel pecudum Ægyptus flagellatur. Insipientia in hoc arguitur, stultitiaque mortalium, quæ tamquam inrationabilia pecora cultum & vocabulum Dei imposuerunt sculptilibus figuris, & animalibus insensatis. Non solum hominum & pecorum, sed ligno & lapidibus impressis. Ammonem, & Jovem in ariete venerantur, & Annubem in cane: Apin quoque colentes in tauro: ceteraque quæ Ægyptus Deorum portenta miratur, & in quibus cultum credebant inesse divinum, in his viderunt miseranda supplicia. Ulcera post hæc vesicæ cum fervuris sexto in loco producuntur. In ulceribus arguitur dolosa hujus sæculi & putrulenta malitia: in vesicis tumentibus inflata superbia: in fervuris, ira, ac furoris insania. Hucusque enim talia per errorum suorum figuras mundo supplicia temperantur: post hæc verò verba veniunt de supernis, voces scilicet, tonitrua, & grando, & ignis discurrens. In tonitruis enim increpationes ac divinæ correctiones intelliguntur; quia non cum silentio flagellat, sed dat voces,

&

& doctrinam cælitus mittit, per quam possit culpam suam castigatus cognoscere mundus. Dat & grandinam per quam tenera adhuc vastentur nascentia vitiorum: dat & ignem, sciens esse spinas & tribulos, quos debeat ignis ille depascere. De quo dicit Dominus: *Ignem veni mittere in terram*. Per hunc enim incentiva voluptatis & libidinis consumuntur. Quod autem locustarum octavo in loco fit mentio, putatur à quibusdam per hoc genus plagæ dissidentis humani generis inconstantia confutari. Alio quoque sensu locustæ pro mobilitate levitatis accipiendæ sunt, tamquam vagæ & salientes animæ in sæculi voluptates. Nona plaga tenebræ factæ sunt, sive ut mentis eorum cæcitas arguatur, sive ut intelligant divinæ compensationis & providentiæ obscurissimas esse rationes: possuit enim Deus *tenebras latibulum suum*, quas illi audaciter & temerè perscrutari cupientes, & alia ex aliis asserentes, in crassas & palpabiles ignorantiae tenebras devoluti sunt. Ad ultimum delentur primogenita Ægyptiorum, sive principatus & potestates & mundi rectores tenebrarum, sive auctores & inventores falsarum, quæ in hoc mundo fuerunt, religionum, quas Christi veritas cum suis extinxit & delevit auctoribus. Porro quod sequitur, *in diis eorum fecit iudicium*, illud hebræi autumant quod in nocte qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sunt. Nos tamen dicimus spiritualiter, quod egredientibus nobis ex Ægypto istius sæculi, errorum idola corruunt, & omnis perversarum dogmatum cultura quatiatur.

Hæc est Ægyptus & Sodoma, quæ nunc contra Ecclesiam pugnant. Illa decem justis minime repertis igne crematur: ista decem plagis afflicta, minime cor-

rigitur. Et ubi in hoc libro Sodomam & Ægyptum inveneris, hanc auctoritatem requiras. Et ubi Synagogam nominaveris, hanc Sodomam & Ægyptum esse cognosce. Suo namque & corporis sui ore loquutus est Dominus per Prophetam: *Circumdederunt me canes multi: Synagoga malignantium obsedit me.* Et iterum: *Aperta est terra, & deglutivit Datham; & operuit super Synagogam Aviron. Exarsit ignis in Synagoga eorum;* quia irritaverunt Moysem & Aaron Sanctum Domini Sacerdotem, & sacrificandi licentiam pro suis conatibus expenderunt. Per quos itaque significantur hi qui hæreses & schismata nunc in Ecclesia facere conantur, & multos secum trahendo decipiunt, contemnentes Sacerdotes Christi, & se à clero ejus multorumque societate segregantes. Constituere audent Ecclesias, & aliud altare precemque alteram illicitis vobis faciunt, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanantes. Hi qui contra Dei ordinationem nituntur, ob temeritatis audaciam, terræ compaginibus ruptis, viventes profundi hiatu merguntur. Nec tantum hi qui duces eorum sunt, sed & illi qui consentiendo participes eorundem facti sunt, in ignem æterni supplicii præparata ultione pereunt. Hæc Synagoga quæ Moysi contradixerat, nunc Ecclesiæ contradicit. Quæ antequam ex parte proderetur, sub unius Synagogæ nomine advocata militabat. Hanc Synagogam memorat Jeremias in Ecclesia, dicens: *Domine omnipotens non sedi in concilio irrisorum, sed timebam à facie manus tuæ, singularitèr sedebam:* utique animo, nam numquam de medio eorum recessit. Ubi nec alterum templum in quo singularis sederet; nec alter populus, ut separatus fuisset monstratur. Nam & Nicodemus malorum concilio assertionem legis

*Psal. 21.
v. 17.*

*105.
v. 17.*

*Jerem.
15. v. 17.*

- Joan. 7. alienus fuit. Hæc est Synagoga, cui filius Dei dicit in
 v. 51. Ecclesia: *Vos de diabolo patre nati estis, & desideria*
 Joan. 8. *patris vestri vultis facere.* Illic est via angusta, illic
 v. 44. & lata; illic dextra est, & sinistra. Sed numquid ambæ
 in via Domini congregantur, aut miscentur? Scriptum
 Osee 14. est enim in Osee: *Iustæ sunt viæ Domini, & justi*
 v. 10. *ambulabunt in eis, impii autem infirmabuntur in eis.*

Unde hortatur Ecclesiam suam, ne timeat eos qui occidunt corpus, & postea nihil habent quid faciant, dicens: *Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Futuras tribulationes & ingerenda ab impiis mala significat. Et confortat fideles suos, ne persecutionum molestiis terreantur: sed dicit quasi uni, quia omnes Sancti, in hoc mundo dum vivunt, unum sunt, quia animam unam, & cor unum in Christi caritate jungunt, & Ecclesia una est. Quia sicut Christus & Ecclesia, caput cum membris, unum sunt; ita homines mali cum diabolo, qui caput eorum est, unum corpus est. Et cum dicit, *nihil timeas ex his quæ passurus es,* utique à toto corpore diaboli, quod in toto mundo intus ac foris obsidet Ecclesiam, significat etiam quid pati valeat, aut quid inimicus possit ingerere. *Ecce missurus est diabolus quosdam ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem.* Nec illud quidem temere puto esse dicendum, sive credendum, quod nonnullis visum est, vel videtur, non amplius Ecclesiam esse passuram persecutiones ad tempus Antichristi; quoniam quod jam passa est, id est, Ecclesia decem, undecima eademque novissima sit sub Antichristo. Primam quidem computant quæ à Nerone facta est. Secundam à Domitiano. Tertiam à Trajano. Quartam ab Antonino. Quintam à Severo. Sextam à Maximino. Septimam à
 De-

Decio. Octavam ab Aureliano. Nonam à Valeriano. Decimam à Diocleciano & Maximiano. Per hos decem Reges passa est Ecclesia ab Ascensione Christi usque ad Concilium Nicenum per annos ducentos quinquaginta. Strages factæ sunt Martyrum, sicut per hanc Apocalypsin Joannis Dominus dicit: *Habebitis tribulationem diebus decem*, pro decem Regibus. Stabat diabolus in specie humana mutatus, contra Christianos dicebat: Quid colitis Jesum crucifixum, hominem Judæum, nullius momenti hominem? Incitabat Principes mundi, ut mortem inferrent, qui in Christo credidissent. Postquàm autem prædicatum est toto orbe Evangelium, cum ipsi Reges, quorum legibus vastabantur Ecclesiæ, in omnibus salubriter subderentur martyribus, quos de terra crudeliter auferre conati sunt, & falsos deos inciperent persequi, quorum causa cultores Dei veri fuerant antea persecuti, templa deorum destruere, & basilicas in nomine martyrum fabricari: Videns ista diabolus aptavit se in veste religionis sub nomine christianitatis, & de Christo pugnat contra Christum: hæreticos in Ecclesia movit; & nunc est undecima persecutio Antichristi. Postquàm totum orbem peragravit Evangelium Christi, spiritualis quidem in Ecclesia est persecutio ista falsa, atque deceptiosa, ut tamen porrò docti intelligant eam, nec tamen intelligant omnes impii: quia tali subtilitate se diabolus in cultu mutavit religionis, &, quòd faciliùs possit decipere, sub nomine christianitatis vera miscet falsis, ut magis opinando, quàm credendo, suos suscitet prædicatores. Sicut enim in primordiis Ecclesiæ Catholicæ postquàm Christus ascendit ad cælos, Apostoli quibus hæc dicta sunt, penè adhuc ipso cum eis, antequam ascenderet, jam

inchoavit Ecclesia pati, & post discessum crevit passio, & multæ tribulationes sunt Ecclesiæ irrogatæ, ita ut publicè proprium funderet sanguinem pro Christi nomine, quem Judæi vetabant nominare; ita futurum esse cognovimus, dùm advenerit Antichristus. Licet & nunc multa per loca varia, vel regiones, ab hæreticis, & gentibus sæpe sustineat, sed *diebus*, inquit, *decem tribulationem habebitis*. Decem dies quos dicit, totum tempus istius sæculi posuit, quia decem pro eloquendi modo dicimus, sicut centum, sicut mille, id est, perfectum numerum istius sæculi completum: acsi diceret, tribulationem habebitis, quasi solùm diebus decem, qui finem habent. Si ad perennitatem futuræ beatitudinis præsentia, quæ toleratis, mala pensetis, tam parva sine dubio reputabitis, tam velociter trans-euntia, tamquam decem dies. Unde & Apostolus dicit:

Rom. 8. v. 18. Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Confortat itaque suos, & dicit: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et in Evangelio Dominus loquitur: *Qui perseveraverit usque in finem, ipse salvus erit.* Potest enim fieri, ut qui male vixerit, & in finem vitæ suæ ad veram pœnitentiam redierit, & rectè Deum crediderit, & Ecclesiam matrem cognoverit; licet ipsa hora hæc fecerit qua mori potuerit, à peccato solutus erit. Potest iterùm & qui bene vixerit, si in finem vitæ suæ à justitia excesserit, non potest salvus esse, si sic obierit, quia usque in finem non perseveravit. Unusquisque in finem aut justificabitur, aut damnabitur: talem judicat Dominus, qualem in finem invenerit. Damnat, aut coronat. Sicut scriptum est: *Ipse judicabit extrema terræ.* Et, qui

Psalm. 9. v. 9. in hoc mundo non parcit animæ suæ usque ad mortem,

*Rom. 8.
v. 18.*

*Mattb.
24. v. 13.*

*Psalm. 9.
v. 9.
Joan. 12.
v. 25.*

tem, vel mortem pro fide susceperit, aut usque ad mortem in fide Christi perduraverit, ipse salvus erit. Et ipsis sine dubio corona vitæ præstabitur. Admonet frequenter, ut qui interioris hominis fidelem præstat auditum, exhibeat aures ad audiendum attentus, ut cognoscat quid per spiritum Ecclesiis indicatur, quibus dicitur: *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Qui aut in passione tolerantiam gesserit, aut indubitatam fidem usque ad consummationem servaverit, mortis secundæ liberatur exitio. Post hæc eloquitur & indicat eundem Dominum, & romphæam, hoc est, gladium ex utraque parte acutum, quod verbum Dei esse docetur, ex ore ejus egredi manifestat; & significat Ecclesiam habitare in sæculo isto ubi sedes est Satanæ.

INCIPIT ECCLESIA TERTIA in libro secundo.

“ **A** Ngelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui
 ” habet gladium ex utraque parte acutum. Scio
 ” ubi habitas, ubi thronus est Satanæ, & tenes nomen
 ” meum, & non negasti fidem meam in diebus Anti-
 ” pas testis mei fidelis, qui occisus est apud vos, ubi
 ” Satanus habitat. Sed habeo adversus te pauca, quia
 ” habes ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat
 ” Balac mittere scandalum coram filiis Israel, ut man-
 ” ducarent idolis immolata, & fornicarentur. Sic habes
 ” & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Qui habet au-
 ” res audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo
 ” manducare de manna abscondito, & dabo ei calculum
 ” candidum, & super calculum nomen meum novum
 ” scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.” *Explicit*

Cap. II.
v. 12.

historia Ecclesiae tertiae in libro secundo.

INCIPIT EXPLANATIO

supradictae Ecclesiae.

Angelo Pergami Ecclesiae scribe: *Hæc dicit qui habet gladium ex utraque parte acutum. Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ: omni Ecclesiae dicit: quia ubique Satanæ habitat. Thronus autem Satanæ homines mali sunt. Revertitur autem ad speciem: quia licet isti soli dicat, ubi thronus est Satanæ, tamen in ista septem figurata sunt totius septiformis Ecclesiae gesta, specialiterque increpat, aut laudat, dicens: Et tenes nomen meum, & non negasti fidem meam in diebus Antipas, testis mei fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanæ habitat. Sed habeo adversus te pauca: utique adversus alia membra, non ea quibus dicit & non negasti fidem meam; sed ad ea membra dicit se habere quæ diximus thronum esse Satanæ, ubi tenent doctrinam Balaam, quibus dicit: Quia habes ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, ut manducarent idolis immolata, & fornicarentur. Postquam dixit ubi habitas, ubi thronus est Satanæ, id est, ubi tentatio non deficit, & perditio multos efficit reos; laudat Ecclesiam, quod teneat confessionem nominis Christi, & non neget fidem suam, etiam & cum fide martyrum honore decoretur; & ab ipsis hoc patitur, à quibus Christus passus est, qui unus Antipas testis fidelissimus nuncupatur, qui occisus est in sæculo isto, ubi Satanæ, qui latine vocatur Adversarius, dicitur habitare. Sed tamen habet adversus Ecclesiam Dominus aliquid, eo quod sint tenentes doctrinam Balaam. Balaam enim in-*

ter-

interpretatur latinè *vanus populus*, sive sine populo, eo quod & ille vanus fuit, & populum vanum genuit, vel absque substantia. Balaam enim typus est Adversarii, qui non congregavit populum ad salutem, nec in multitudine salvandæ plebis gaudet. Sed dum omnes perdidit, & sine populo vel absque substantia remanserit, tunc exultat. Ipse est, qui docuit Balac mittere scandalum coram filiis Israel. Balac enim latinè dicitur *præcipitans*, sive devorans. Ipse præcipitavit Israel, ut consecraretur idolo Phogor, & devoravit eos moribus voluptatis & luxuriæ. Ad hujus similitudinem dicit etiam, Ecclesiam habere, qui teneant doctrinam Balaam; qui sunt in Ecclesia hypocritæ, & hoc habent principale opus, edere & fornicari, id est, comedere scripturas, & fornicationem facere spirituales, ut deforis pareant hominibus justis, & intus sint mali. Sicut Dominus dicit: *Intus autem pleni sunt rapina, & incontinentia*; sed & omne opus malum habent. Idololatria verò est fornicatio spiritualis. Qui se putat rectè vivere, sed per hypocritarum exempla; non miscetur in Ecclesia, sed cum synagogæ operibus fornicatur. Balaam quoque opere prophetiæ spiritu elevatus erat, sed adsumptus non erat; quia & veraciter potuit longe post futura prospicere, sed tamen à terrenis desideriiis mentem noluit separare. Sed hac in re subtili inquisitione necesse est, ut semetipsum animus investiget, ne fortasse suæ laudis gloriam quærat, & animarum lucra se quærere sua cogitatione simulet. Sæpe enim sui nominis laude animus pascitur, & quasi sub obtentu lucrorum spiritualium cum de se bona dici cognoverit, lætatur. Et sæpe suæ gloriæ defensione contra detrahentes irascitur, & fingit sibimet quod hoc ex eorum zelo faciat, quorum corda à bono itinere de-

Num. 25.
v. 18.

Matth.
23. v. 25.

Ex Greg.
in Ezech.
lib. 1. Ho-
mil. 9. n.
18.

trahentis sermo perturbat. Sancti verò aliquando virtutes suas prædicant, ut exemplo suo alios ad vitam trahant : unde Paulus, qui tanta pro veritate sustinuit, quotiens lapidatus, naufragium passus, quòd in paradysum ductus sit, Corinthiis narrat, ut eorum sensum à falsis prædicatoribus avertat. Quod perfecti cum virtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis Dei imitatores sunt, qui laudes suas hominibus loquitur, ut ab hominibus cognoscatur : nam cum per Scripturam suam præcipiat dicens : *Laudent te alieni, & non os tuum* ; quomodo facit ipse quod prohibet ? Sed si virtutes suas omnipotens Dominus taceret, sic eum nullus agnosceret, nullus amaret. Si nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Unde per Psalmistam dicitur : *Virtutem operum suorum adnuntiabit populo suo.* Justi atque perfecti non solum cum vituperationis exemplo suo alios ad vitam trahunt, sua verba reprehendunt, sed etiam cum virtutes quas habent infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt, quia per suam vitam, quam referunt, aliorum animas trahere ad vitam quærunt, & numquam bona sua detegunt, nisi eos, ut dixi, aut proximorum utilitas, aut certè nimia necessitas cogat. Hinc ad Ezechielem dicitur : *Increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Increduli, scilicet Deo, subversores verò infirmantibus proximis : scorpiones autem etiam fortibus ac robustis, quibus & in faciem contradicere non possunt, ex occulto tamen vulnus inrogationis infigunt. Nam aliquando aliquis per tumorem elationis loquitur, & loqui se per auctoritatem libertatis existimat : & aliquando alius per stultum timorem tacet, & tacere se per humilitatem putat. Ille locum sui regiminis adtendens non metitur sensum tumoris : Iste locum

suæ subjectionis considerans , timet dicere bona quæ sentit , & ignorat quantum caritatis reus efficitur tacendo. Sic verò sub auctoritate superbia , & humanus timor sub humilitate se palliat , ut sæpe nec ille valeat considerare quid Deo , nec iste quid debeat proximo. Nam ille eos qui sibi subjecti sunt , conspicit , & eum cui omnes subjacent non adtendit. In elatione adtolitur , & de elatione sua velut de auctoritate gloriatur. Iste verò nonnumquam timet , ne majoris gratiam amittat , atque per hoc aliquid temporalis damni sustineat , recta quæ intelligit occultat ; atque apud se tacitus ipsum timorem quo constringitur humilitatem nominat , sed eum cui nihil vult dicere , tacendo in cogitatione dijudicat : fitque , ut unde se humilem esse existimat , inde gravius sit superbus. Discernenda ergo semper sunt libertas & superbia , humilitas & timor: ne aut timor humilitatem , aut superbia libertatem fingat. Ezechiel itaque qui non solum populo , sed etiam senioribus loqui mittebatur , ne incautum timorem habeat admonetur , dum dicitur : *Ne timeas eos* : ac , ne forte derogationis eorum verba pertimesceret , adjungitur : *Neque sermones eorum metuas*. Cur autem linguas derogantium timere non debeat , etiam causa subjungitur , cum protinùs subinfertur : *Quoniam increduli & subversores sunt tecum , & cum scorpionibus habitas*. Timendi enim essent hi quibus loqui mittebatur , si in fide & opere omnipotenti Deo placuissent. Qui autem increduli & subversores sunt , in suis sermonibus derogantes , timendi non sunt. Quia stultum valde est , si illis placere quærimus , quos non placere Domino scimus. Debent autem habere in metu & reverentia judicia justorum , quia membra omnipotentis Dei sunt , & hoc ipsi in terra reprehendunt , quod

Dominus redarguet in cælo. Nam perversorum detractio vitæ nostræ adprobatio est : quia jam ostenditur nos aliquid justitiæ habere ante Deum , si illis incipimus displicere qui non placent Deo. Nemo enim potest in una eademque re omnipotenti Domino atque ejus hostibus gratus existere. Nam Deo se amicum negat , qui ejus placet inimico. Et inimicis veritatis adversabitur , qui eidem veritati in mente subjugatur. Unde Sancti viri in vocis liberæ increpatione succenssi ad sua odia excitare non metuunt quos Deum non diligere cognoscunt. Quod Propheta ardentem exhibens creatori omnium quasi in munere obtulit , dicens : *Nonne qui te oderunt Deus oderam illos : & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos , & inimici facti sunt mihi.* Ac si apertè dicat : *Pensa quantum te diligo , qui tuorum hostium excitare contra me inimicitias non pertimesco.* Hinc iterum dicit : *Qui retribuebant mihi mala pro bonis , detrahebant mihi , quoniam subsecutus sum justitiam.* Bonum valdè est quod justus tribuit , quando male agentibus libera voce contradicitur. Sed hic perversi mala pro bonis retribuunt , quando justis derogant , quia contra eos justitiæ defensionem servant. Non enim justis humana judicia , sed æterni judicis examen aspiciunt : atque ideo detrahentium verba contemnunt.

De quibus adhuc subditur : *Tu autem fili hominis audi quæ loquor ad te , & noli esse exasperans , sicut domus Israel exasperatrix est ;* ac si diceret , mala quæ fieri conspicias , ipse non facias ; nec hoc , quod prohibere niteris , ipse committas. Omnis etenim prædicator intenta semper debet mente pensare , ne qui missus est lapsos erigere , ipse in pravitate operis cum lapsis cadat , & Pauli Apostoli sententia feriatur dicens-

Ps. 138.
v. 21.

Psal. 37.
v. 21.

Ezech. 2.
v. 8.

centis: *In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas.* Rom. 2.
 Unde Balaam Dei spiritu repletus ad loquendum, sed v. 1.
 tamen in carnali vita suo spiritu retentus de semetip-
 so loquitur dicens: *Dixit auditor sermonum Dei, qui Num. 24.
 novit doctrinam altissimi, & visiones omnipotentis v. 16.
 videt, qui cadens apertos habet oculos.* Cadens aper-
 tos oculos habuit, quia rectum quod diceret vidit,
 sed recte vivere contempsit. Cadet, videlicet, in per-
 verso opere, & apertos habet oculos in sancta præ-
 dicatione. Est tamen aliud quod possit intelligi, cur
 Beatus Ezechiel, qui ad prædicationem mittitur, esse
 exasperans prohibetur. Nisi, ad loquenda verba cum
 mittebatur, obediret, omnipotentem Dominum sicut
 populus de perverso opere, sic Propheta de suo si-
 lentio exasperasset. Nam sicut mali Deum exasperant,
 qui loquuntur vel faciunt mala; ita & aliquando bo-
 ni exasperant Deum, qui tacent bona. Illis itaque
 culpa est, perversa agere: istis verò culpa est, rec-
 ta tacere. In hoc enim cum malis etiam boni simul
 Deum exasperant, quia cum perversa non increpant,
 eis per suum silentium proficiendi licentiam præ-
 stant. Hæc est in Ecclesia idololatria & fornicatio spi-
 ritualis, quæ exordium ducit ex doctrina Balaam.

Sic habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum:
 id est, hæreticorum dogma sectantes. Suadet etiam
 ipsos, ut convertantur ad Dominum, & agant pœ-
 nitentiam; ne in gladio oris sui bellare cum eis inci-
 piat, dum ad iudicium veniens interrogaverit unum-
 quemque de operibus suis, frequenter admonens, di-
 cit: *Pœnitentiam age: quod si nolueris, venio tibi
 cito, & debellabo eos gladio oris mei.* Ad ipsam par-
 tem dicit debellandam, quam semper increpat. *Qui
 habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Vin-
 cen-*

centi dabo manducare de manna abscondito. Id est, de pane qui de cælo descendit. De quo pane in Luc. 11. quotidiana prece dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Nostrum dicimus, sed cum illo est; & nisi petierimus, non accipimus. Hujus panis figura fuit manna in eremo, sed non est omnibus notum. Nam multi manducantes mortui sunt, sicut Dominus dicit: *Manducaverunt manna in eremo, & mortui sunt*. Ex eodem manna alii manducaverunt, & mortui non sunt, sicut Moyses, & ceteri. Non enim illum panem improbavit, sed absconditum ostendit. Idem namque fuit ille panis, qui nunc est in Ecclesia: sicut scriptum est, *Eundem cibum spirituales manducaverunt*, & etiam modo manducatur panis spiritualis: sed non est omnibus panis vitæ: *Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat*, id est, qui legit scripturas, panem manducat: sed si quod legit non facit, judicium sibi manducat. Pro hoc legimus scripturas, ut Christum cognoscamus, & per Christum Trinitatem, quæ unus Deus est, rectè credamus. Hæc est solidus cibus, hæc est manna absconditum, sicut scriptum est: *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo*. Quia qui cum Patre & Spiritu Sancto semper æqualis creditur in principio, & Angeli de divinitatis ejus fruuntur intuitu, nunc Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Hic est panis qui de cælo descendit: si quis ex ipso manducaverit, non morietur, sed habebit vitam æternam*. Hic est panis absconditus, qui non datur nisi legitime certantibus, & in amore Dei & proximi perseverantibus. Hic est manna quod nemo accipit, nisi qui petit. Quod nemo petit, nisi quem Deus gratuita miseratione illuminaverit, & ad pœnitent-

tentiam traxerit. Quia secundum Apostolum, *cui vult miseretur, & quem vult obdurat*. Miseretur magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, quia iniquitas in Deo non est. Sed unusquisque funibus peccatorum suorum adstringitur. Utpote lutum, & cera: lutum stringitur, & cera molliitur, cum æqualis fervor, aut calor Solis habetur. Cui imputandum est? Soli, aut luto? Absit ut Soli, qui æqualem claritatem non mutavit. Ita nec Deo imputandum est. Sol quippe in fulgore est, & uniuscujusque opus in manifestatione, sicut scriptum est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*. De cera autem non vacat tropum inquirere, cujus naturam cognoscitis ex virginitate procedere. Lutum verò peccatum est, ut scriptum est: *Canis reversus ad vomitum, & sus lota ad volutabrum luti*. Porci sunt, qui necdum Evangelio credunt, & in luto incredulitatis vitiisque versantur. Non est ergo Deo imputandum, qui *vult omnem hominem salvum fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Istis ergo datum est manna, qui Evangelio credunt, & quæ in eo scripta sunt intenta mente faciunt. Hunc panem qui de Ægypto exierunt, omnes manducaverunt, sed non omnes terram repromissionis intraverunt. Hunc enim panem nunc de Ægypto sæculi, quæ latinè dicitur *tribulatio*, exeuntes omnes manducant, sed non omnes paradysum intrant. Quod quidam ignorantes viam quasi per eremum istius sæculi spirituali fame quotidie pereunt. Quod si in via intrassent, id est, in Christo, qui dicit: *Ego sum via*; & si hunc panem manducassent, nequaquam in eremo, id est, ignorantia litterarum, morerentur; sed plano vestigio cum Jesu duce repromissionis paradysi terram ovantes in-

Rom. 9.
v. 18.

Mattb.
5. v. 16.

2. Petr.
2. v. 22.

1. Tim. 2.
v. 4.

Joan. 14.
v. 6.

Galat. 5. v. 6. grederentur : Quia ut Apostolus ait : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Non enim magni est meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore; sed pensandum est quid agatur in mente. Nam præsentem mundum despiciere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo & proximo sternere, contra inlatas contumelias patientiam servare, & custodita patientia dolorem malitiæ à corde repellere, egenis propria tribuere, aliena non concupiscere, amicum in Deo diligere, propter Deum & eos qui inimici sunt amare, de afflictione proximi lugere, de morte ejus qui inimicus est non exultare; hæc est nova creatura, quam idem Magister Gentium apud alios quoque discipulos vigilanti oculo, requirit, dicens : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova.* Istis ergo sine dubio datur manna absconditum : istis lignum vitæ, quod est in paradiso Dei, id est, crucem Christi in Ecclesia mandatur attingere : istis dictum est : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent.* Isti sunt Apostolorum membra, qui cum Christo capite, id est, Jesu duce, repromissionis ingrediuntur cælestia regna. Ad veterem quippe hominem pertinet præsentem mundum quærere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, ad multiplicandum aliena quærere, nullum purè propter Deum diligere, inimicis inimicitias reddere, de afflictione proximi gaudere : cuncta hæc vetusta sunt hominis, quæ videlicet de radice trahuntur corruptionis : istis namque non datur de manna abscondito, quia viam non invenerunt Christum. Sux verò

Ecclesiæ dicit : *Manifestabo me ei.*

Cap. 14.

Et dabo ei calculum candidum, id est, corpus baptismo candidatum. Calculus enim lapis est candidus, de quo Apostolus ait : *Ut sitis lapides vivi coædificati in templo Dei.* Lapidés quoque pretiosi, Confessores, & Apostoli, Sacerdotes, omnesque justii intelliguntur. Hi lapides per Moysem in templum Dei offerri præcipiuntur, ut nullus desperet salutem; offerbat alius aurum, sensum spiritualem, quod est in Ecclesia mystica intelligentia : alius argentum, eloquium, id est, tropologicam, sive moralem intelligentiam : alius æris vocem, id est, historicam intelligentiam. Scriptura enim Sancta tripliciter intelligenda est : primò ut historicè, secundò ut tropologicè, tertio ut mysticè intelligatur. Historicè namque juxta litteram, tropologicè juxta moralem scientiam, mysticè juxta spiritualem intelligentiam. Ergo sic oportet in Ecclesia Catholica fidem tenere, ut scripturas historialitè debeamus legere, moralitè interpretari, & spiritualitè intelligere. Bene ergo dicitur, *Dabo ei calculum candidum*, id est, faciam illum sedere cum potentibus populi mei, qui sunt Apostoli, & thronum gloriæ hereditabo illum. *Et super calculum nomen meum scriptum* : id est, mysterium filii hominis, acsi diceret : manifestabo ei me ipsum. *Quod nemo scit nisi qui accipit.* Hypocritæ enim licèt habere videantur, non est datum illis intelligere, sicut scriptum est : *Vobis datum est intelligere mysterium regni Dei*, & mea secreta cognoscere, quos video in meo amore laborare. Quæ secreta Propheta referebat, cum diceret : *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Illis verò non est datum, qui sua verba, non mea, prædicant, & me persequuntur, cùm vos habent in despectum. De quo etiam

v. 21.

1. Petr. 2.

v. 5.

Matth.

13. v. 11.

Psal. 50.

v. 8.

Ezech. 2. etiam & ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis, vade*
v. 7. *ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* In eo
 quod Dominus dicit, *loqueris verba mea ad eos*, quid
 aliud quàm ejus ori frænum moderaminis imponit, ne
 quod priùs intùs non audierit, foris dicere præsumat?
 Nam Prophetæ falsi, qui sunt hypocritæ, & hæretici,
 sua, & non Domini verba loquuntur, sicut & eo tem-
 pore non Domini, sed sua verba loquebantur, de qui-
 bus scriptum est : *Nolite audire verba Prophetarum,*
Jerem. *qui prophetant vobis, & decipiunt vos, visionem cor-*
23.v.16. *dis sui loquuntur, non ore Domini.* Et rursum : *Non*
Vers. 21. *loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Qua ex re quo-
 que colligendum est, quia & quisquis Expositor in
 explanatione sacrii eloquii, ut fortasse auditoribus pla-
 ceat, aliquid mentiando componit, sua, & non Domini
 verba loquitur ; si tamen placendi vel seducendi studio
 mentiatur. Nam si in verbis dominicis virtutem requi-
 rens ipse aliter quàm is per quem prolata sunt sense-
 rit, etiam si sub intellectu alio ædificationem carita-
 tis requirat, Domini sunt verba, quæ narrat : quia
1. Cor. 8. scriptum est : *Scientia inflat, caritas autem ædificat.*
v. 1. Hinc Joannes ait : *Qui dicit quoniam cognovi Deum,*
1. Joan. *& mandata ejus non servat, mendax est, & in eo ve-*
2. v. 4. *ritas non est.* Et iterùm : *Qui dicit se in luce esse, &*
Vers. 9. *fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* Si
1. Cor. 2. enim hypocritæ mysterium Dei cognovissent, numquam
v. 8. Deum in familia ejus occidissent. *Explicit Ecclesia*
tertia.

INCIPIT ECCLESIA QUARTA IN LIB. II.

„ **A** Ngelo Thyathiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit
 „ filius Dei, qui habet oculos sicut flammam ignis,
 „ & pedes ejus similes aurichalco Libani. Scio opera
 „ tua, & dilectionem, & fidem, & ministerium, & pa-
 „ tientiam tuam, & universas operationes tuas, etiam
 „ in novissimis abundantiores prioribus. Habeo adver-
 „ sus te multa (1): quia permittis mulierem Jezabel,
 „ quæ se dicit Prophetissam esse, & seducit multos ser-
 „ vos meos, & facit fornicari, & manducare idolis im-
 „ molata: & dedi ei tempus ut pœnitentiam ageret, &
 „ non vult pœnitere de fornicatione sua, & docet &
 „ seducit servos meos fornicari. Ecce mitto illam in lec-
 „ tum, & eos qui cum ipsa fornicantur in tribulatione
 „ magna, si non pœnituerint operum ejus, & filios ejus
 „ occidam in morte. Denique & scient omnes Ecclesiæ,
 „ quia ego sum, qui scrutor corda & renes, & dabo
 „ vobis singulis secundum opera vestra. Vobis autem
 „ dico reliquis qui estis Thyathiræ, non mitto super
 „ vos aliud pondus: verumtamen quod habetis, tenete,
 „ donec veniam: & qui vincit, & qui servat opera mea
 „ usque ad finem, dabo ei potestatem super gentes, &
 „ pascet eas in virga ferrea, & ut vas figuli commi-
 „ nuentur, sicut & ego accepi à Patre meo: & dabo
 „ ei stellam matutinam. Qui habet aures audiat quid
 „ spiritus dicat Ecclesiis.”

Cap. II.
v. 18.

(1) Ita versio antiqua. Vulgata pauca.

INCIPIT EXPLANATIO
suprascriptæ Ecclesiæ in libro secundo.

Angelo Thyathiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit filius Dei , qui habet oculos sicut flammam ignis , & pedes similes aurichalco Libani. Scio opera tua , & dilectionem , & fidem , & ministerium , & patientiam tuam , & universas operationes tuas , etiam in novissimis abundantiores prioribus. Oculos sicut flamma ignis , & pedes ejus similes aurichalco , cujus intuitus universa discernit , cujus caro immaculata rutilat velut aurichalcum in ignis claritate resplendet. Scire autem operationem & caritatem , & fidem , servitium , & patientiam , Ecclesiæ suæ testatur , & novissima opera plura ait prioribus : significat , majorem Sanctorum numerum in finem temporum esse futurum , quando adveniente homine peccati , filio perditionis , innumera Sanctorum millia proprio erunt cruore sacrandæ. Sed causatur adhuc adversus eam dicens : *Quia permittis mulierem Jezabel , quæ se dicit Prophetissam esse , & docet & seducit servos meos fornicari , & manducare idolis immolata.* Quid sibi vult in fornicariæ illius Jezabel typo nisi quamdam doctrinam , quæ immolata idolis docebat manducare , & tempus pœnitentiæ acceperunt , atque despexerunt , & pœnitentiam agere noluerunt ? Sed ægrotatio huic doctrinæ idolorum , languorque promittitur & infirmitas lecti , id est , istius sæculi delectatio ; & , qui adulterantur per doctrinam ejus , tribulationem maximam eis futuram in die judicii repromittit. Nam Jezabel interpretatur *sterquilinum* , vel sanguinis fluxus. Quid aliud in sterquilinio nisi sordes ? Quid in sanguine re-

reputabitur, nisi scelus atque peccatum quod per crimen admittitur? Rectè eis condemnatio futura prædicatur, nisi forte pœnitentiam agant ab operibus suis. Sermo itaque designat in uno homine quod est Ecclesia, cum dicit: *Scio opera tua majora prioribus*, generaliter omnium Sanctorum est persona. Cùm autem dicit *permittis mulierem Jezabel*, Præpositos, id est, Episcopos, qui habent permittendi abstinentique potestatem. Sicut ergo in hac speciali Ecclesia & officia & qualitates non nisi sermonis ratio discernit; ita & transitum ab specie ad totam Ecclesiam: constituit namque Episcopum reum, siquidem permittendo particeps est eorum qui hæc faciunt. *Et dedi ei tempus, ut pœnitentiam ageret, & noluit pœnitentiam agere de fornicatione sua.* Cur non dixit, *dedi vobis tempus ut pœnitentiam agatis, sed ei?* Quia in Ecclesia, ut diximus, duæ partes sunt in uno homine, quia Ecclesiam unum hominem dicit. Una pars est, quæ pœnitentiam agit, & altera est sæcularium, quæ sub nomine christianitatis omne quidquid malum est facit. Et sunt ibi prædicatores inter utrasque partes, qui sunt leves; quasi sub nomine religionis dant eis illicitas paces, & promittunt eis securitatem, & novas prophetias attendendas ostendunt. Et habet in ipsa parte, qua diximus, Sacerdotes, & Levitas, sceleratos, & fornicarios, & istos quos diximus, qui illicitas paces faciunt: qui religiosi quasi esse videntur, cùm ambabus partibus amicitiam volunt tenere. Ipsa est Jezabel, quæ seducit homines simplices, ut non agant pœnitentiam. Omnis enim qui fornicariæ consentit, unum corpus efficitur cum ea. Et hæc fornicatio spiritualis est intra Ecclesiam. De hac fornicatione Apostolus dixerat, *Fornicationem, immunditiam,*

1. Cor. 6.
v. 16.

Colos. 3.
v. 5.

tiam, & avaritiam, & concupiscentiam malam, quod est idolorum servitus. Idololatria enim idolorum servitus dicitur. Latria græcè, latinè servitus dicitur. Proinde Ecclesiam increpat Dominus, qui rectè vivit; & dicit, se adversus eam partem habere multum, pro ipsa muliere Jezabel, quæ seducit servos Domini, & dicit se Prophetissam, id est, Christianam, quæ sub nomine christianitatis multa illicita facit, & est adversaria veritatis. Et inde dicit Dominus, se adversus eam habere, quia totum, ut diximus, unus Angelus nominatur, id est, una Ecclesia dicitur. Sed qui Sancti Sacerdotes sunt, & ipsi parti non increpant, ut à malis respiscant, participes ejus sunt in opera. De ipsis per Prophetam dicit: *Furem videbas, simul cum eo currebas, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Frater ipse est qui dixit: *Ite dicite fratribus meis*, id est, Christus, qui propter adumptionem carnis Ecclesiæ se fratrem voluit nuncupari. Mater Ecclesia est: filius matris est quilibet homo christianus. Adversus filium matris Sacerdos ponit scandalum, quando eis licentiam peccandi per suum silentium præstat. Aut si certe eis dicit, & cum caritate & humilitate hoc non dicit; aut qui graviter peccant, non suadendo ut eum lucrifaciant, sed superbe eum increpando, exasperant, & ad desperationem adducit, filio matris grande scandalum facit. Inde ei dicitur habeo *adversus te multa*, quia permittis mulierem Jezabel. Vide, quia in supra dictas Ecclesias se habere *pauca* dicit; & hic dicit *multa* se habere adversus eam, quia consensu particeps est: quod nisi consensu particeps esset, eos inimicos habuis-

Psal. 49.
v. 18.

Matth.
28. v. 10.

.d. 100 .1
.01 .10

.2 .100
.2 .10
muit

buisset. Et generaliter omnes unam Ecclesiam facit. Et voluit Ecclesiam personam Sanctorum ostendere, id est, prædicatorum, quod est pars Domini: fornicantis verò, non suæ partis, sed alienæ. Hæ duæ partes in prædicatione unus homo dicitur, quia & in uno homine possumus duo latera nuncupare, id est, dextrum & sinistrum; & sunt in eo multa membra, sed unum corpus. Habet ibi membra sana, habet & infirma. Sana membra Sancti sunt; infirma verò peccatores. Dexteræ ejus Sancti sunt, sinistra autem peccatores. Sicut sunt in homine membra infirma, & ita ut sana doleant, & tunc relevatur homo ab ægritudine, cùm vulnus foras exierit; ita & homines mali, quod sinistra pars est, sic sunt in membra Ecclesiæ sana, quod est dexteræ pars, sicut humores mali. Sicut hunc hominem specialiter intelligis, ita generaliter intelligas unam Ecclesiam esse, de qua dicit, *Angelo Thyathiræ Ecclesiæ scribe*: ita & Angeli bipartiti sunt, ut non nisi dicti rationem videri possit. Ut quid prædicet, per rationem & patientiam, & humilitatem, & caritatem unicuique dicat. Consideret ergo quid dicit, cui dicit, quomodo dicit, & quando dici conveniat, consideret. Sic Dominus in Evangelio disputat: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, & facite: quæ autem faciunt, nolite facere.* In specie genus abscondit. Quia tunc discipuli erant quibus hæc dicebat, & nunc discipuli sunt quibus hæc dicit. Et tunc Pharisei, id est, divisi, erant qui diligenter, legem prædicabant, & Christum non cognoscebant: & nunc Pharisei, id est, Sacerdotes divisi, Christum prædicant, & Christum non cognoscunt. Illi non crediderunt, nec cognoverunt, sed

Matt.
23. v.2.

1. Cor. 2. crucifixerunt : quia si cognovissent , utique nec tradidissent : nunc in Ecclesia sunt , qui Christum , id est , membra ejus , quotidie crucifigunt. Sic in specie genus abscondit. Ceterum si hoc speciale est , & neque in Ecclesia futurum ostendit , servos suos Dominus foris remanere voluit , qui Scribis & Phariseis , exceptis operibus quæ faciebant , ei quod dicerent adhærere mandavit. At numquid ergo præcepta in biduum tantum dedit , quia post non amplius supervixit ? ipso dicente : Scio quia post biduum Pascha fiet , & filius hominis tradetur. Et secundum Joannem sex diebus ante passionem super asinum sedit ingrediens Jerusalem. Et post hunc ingressum mandata hæc tradidit , sicut in Matthæo invenimus. Quod si & in initio suæ prædicationis ista tradidisset , annus esset. In quo anno quid opus erat id docere , si usque ad passionem tantum valeret ? Sed , ut diximus , hoc quod dixit , per similitudinem dixit , hoc est speciem , quod nobis in Ecclesia hodie futurum esset , & exinde exempla & auctoritas in posterum fieret malis , id est , Cathedræ Moysi sedentibus , hoc est Sacerdotibus , qui in Ecclesia primas Cathedras requirunt , & primos discubitus , ut ea quæ dicunt facerent & custodirent , & opera quæ illi faciunt non facerent. Solent enim qui in hac Cathedra docent , eis qui docent & faciunt , adhærere. Inde ait : *Habeo adversus te multa , quia permittis mulierem Jezabel.* Isti verò sub nomine christianitatis fornicationem , & idololatriam spirituales docent , & nobiscum uno videntur deservire altari , sed de imitatione fidei , non religionis obtentu. Habent enim similitudinem Pharisæorum , qui decimabant omne olus , & Dei judicia prætermittebant. Habent & isti similitudinem , id est ,

imitationem sanctitatis, per quod diabolo ministrant, & populis Sacramenta distribuunt: id est, baptisma, communionem, & in populis benedictionem, psalterii & Evangelii adnuntiationem. Hæc est doctrina Cathedræ Moysi. Hi sunt proselyti eorum, ut sint filii gehennæ, magis quam ipsi proficientes in pejus. Proselyti dicuntur advenæ, qui de aliena terra peregrini veniebant, & cum populo Judæorum in fide & circumcissione se miscebant. Et putabant se Sacerdotes Pharisæorum, pro qua re eos circumcidebant, ut inde essent Sancti; & ipsum faciebant in opere, quod & ipsi Pharisæi qui eos docebant: & erant utrique filii gehennæ. Ita & isti in Ecclesia Sacerdotes mali putant se, pro qua re Evangelium annuntiant, & baptizant, inde habere vitam æternam. Et quia per se mali sunt, ita & malos filios per suum exemplum generant; & sunt filii gehennæ, quia in opere eos imitantur, à quibus christiani facti sunt. Et inde dicit: *Docet, & seducit servos meos fornicari, & manducare idolis immolata.* Utique sicut diximus, sub nomine Christi fornicationem, & idololatriam spiritualem docebat. Nam quomodo apertè idolorum culturam doceret, qui in Ecclesia Prophetam se dicebat? Non dicimus, quod idola adorabat, aut alterum Deum credebat, aut prædicabat nisi Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum: sed similitudinem christianitatis contegens corporalem, spirituale adulterium faciebat. Spirituale verò adulterium idololatria est. Cùm quisquis hoc facit quod Scripturæ Sanctæ non convenit, non solum majora, sed etiam minima, quod pro nihilo æstimatur, idololatria dicitur; sicut Spiritus definivit per Apostolum, qui cum de falsis fratribus disputaret, ita conclusit

1. Cor. 10
v. 14.

dicens : *Filioli abstinete vos ab idolis* : Et iterum : *Quid templo Dei cum idolis* ? Non ergo omnes Sacerdotes , Sacerdotes sunt : non omnes Diaconi , Diaconi sunt. Adtendis Petrum , sed & Judam considera. Stephanum suspicis , sed & Nicolaum respice. Numquid soli illi in primordio Ecclesiæ fuerunt ? Sed & hodie sunt. Sic in specie ostendit genus , & genus revocat ad speciem. Habet Petrus imitatores discipulos , habet & Judas : habet Stephanus imitatores Diaconos , habet & Nicolaus. Petrus prædicat Evangelium Christi , prædicat & Judas. Baptizat Petrus in nomine Trinitatis , baptizat & Judas. Habet Petrus in Ecclesia potestatem ligandi & solvendi peccata : habet & Judas seducendo servos Domini fornicari , & manducare idolis immolata. Ecce in una domo duo altaria. Ecce communis lectus , & divisus Christus. Sic & veritas in Evangelio protestatur dicens : *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit , ad nihil utile erit , nisi ut projiciatur foris in sterquilinio. Et*

Matth. 5.
v. 13.

4. Reg. 9.
v. 3.

inde Jezabel suo nomine sterquilinium nuncupatur , quæ foris civitatem de muro præcipitata in sterquilinio cecidit canibus edenda. Hoc idè dicitur , ut qui minime credit futurum , Jezabel legat historiam , & quod in ea corporaliter gestum est , ejus causa prævideat in Ecclesia. Quod si futura non essent opera ejus , nequaquam moneretur per spiritum Thyathiræ Ecclesia : nec eam opus erat memorare quæ olim fuerat mortua ante tanta annorum curricula. Ait enim : *Docet , & seducit servos meos fornicari , & manducare idolis immolata : & dedi ei tempus ut pœnitentiam ageret , & non vult pœnitere de fornicatione sua. Ecce mitto illam in lectum , & eos qui cum ea fornicati sunt in tribulatione magna , si non pœni-*

tuerint operum ejus. Et filios ejus occidam in morte: hoc est, discipulos ejus, quos per suam doctrinam generat. Hos [secundum] se damnaturum morte commemorat. Quia sicut Sancti Apostoli filii dicuntur Dei, & Doctores filii dicuntur Apostolorum, & ceteri Sancti filii dicuntur Doctorum; ita & omnes in Ecclesia filii dicuntur Sacerdotum, sive bonorum sive malorum. Et quis quem in Ecclesia in opere imitatus fuerit, filius ejus esse dicitur. Sicut Dominus in Evangelio ait: *Vos de diabolo patre estis, & desideria patris vestri facere vultis.* Numquid diabolus filios carnaliter habuit? Et alibi dicuntur *filius gehennæ.* Numquid gehenna filios generat? Non: Sed opera diaboli dicuntur gehennæ incendio præparata. Ita & isti ejus mulieris filii dicuntur. Et quid aliud? *Filios ejus occidam in morte,* id est, morte spirituale. Per peccatum enim *mors introvit in orbem terrarum,* quia dum unusquisque peccaverit, licet in corpore vivere videatur, in anima tamen mortuus est, quia non perspicua morte, aut tam aperta quæ esset carnaliter facta, sed spirituali morte dicit *occidam.* Et sicut specialiter ultio manifesta fiebat in matre, id est, in tales Sacerdotes, qui in Ecclesia dicuntur; ita manifestum est, ut talis ultio descenderet in filios, & per omnes Ecclesias ejusdem mulieris filios, id est, eodem spiritu genitos, spirituali morte damnatos, etiamsi in hoc sæculo non manifestarentur, tamen in æternum jam teneret obnoxios.

Et scient, inquit, *omnes Ecclesiæ,* quia ego sum scrutans corda, & renes: cum reddidero unicuique secundum opera sua, & statuero secreta uniuscujusque ante faciem suam. Nam & ceteris qui sunt in Ecclesia, & non sequuntur doctrinam hanc pessimam, nec

Joan. 8.
v. 44.

Matth.
24. v. 15.

Rom. 5.
v. 12.

profundam Satanæ malitiam cognoverunt, dixit ad illos: *Non mittam super vos aliud pondus*: acsi apertè diceret: Non judico bis in idipsum: qui semetipsum judicat, ab alio non judicatur. Qui in hoc mundo tribulationem pro me patitur, in futuro necesse est, ut à me coronetur. Quia non sic in hoc mundo patitur, ut ego ei aliud pondus imponam: absit ut in futuro tribulationem patiatur. *Vobis autem dico reliquis, qui estis Thyathiræ.* Dùm dicit *vobis dico reliquis*, ostendit quid sit Angelus, id est, Ecclesiæ pars, quam supra diximus, cui hæc dicit: Quicumque non habetis doctrinam hanc, nec cognovistis altitudinem Satanæ, id est, eis non consensistis, sicut Dominus dicit de iniquis operariis: *Numquam novi vos, discedite à me.* Sicut enim qui operantur iniquitatem non cognoscunt Deum, licèt ipsum prædicent; ita Deus licèt omnes noverit, non cognoscit operarios iniquitatis. Hoc modo justis non cognoscunt doctrinam Satanæ, licèt audiant atque ejus importunitatem sentiant. Unde enim fieri potest, ut justis mala non audiant ab his quibus abstineant, & eorum opera non faciant? sed oportet, ut intra Ecclesiam cum ipsis unanimiter sint, & ab ipsis crucientur, ut semper probentur, sicut aurum in fornace, qui per carbonem inluminatur. Carbo semetipsum ustulat, sed aurum purgat. Ita oportet intra Ecclesiam hæreticos, hypocritas, & schismaticos esse: semetipsos ustulant, sed Ecclesiam ut aurum purgant. Sicut scriptum est: *Oportet ergo hæreses esse intra Ecclesiam, ut probati manifesti fiant.* Et iterùm: *Cum dixerint vobis, ecce in cubiculis est Christus*, id est, hæreticorum doctrina, quia cubiculum dicitur, pro eo quod in Ecclesia Scripturarum doctrinam proferunt: Aut si dixerint: *Ecce in deserto est Christus*, id est, inter

Matth.
7. v. 23.

1. Cor. 11
v. 19.
Matth.
24. v. 26.

gen-

gentiles, quia desertum dicitur gentilitas, eo quod Scripturarum ibi non docentur prædicamenta. Et ita fit per universum mundum in Ecclesia, ut qui futuri sunt, ad vitam beatam per istos probentur in humilitate & patientia. Et malis hominibus inde tanta mala futura Dominus pronuntiat, ut ipsi hæretici in hoc sæculo pœnam gehennæ prædicent. Et inde justi laudabiliores sunt supportando, & usque in finem vitæ suæ in caritate persistendo, & humiliter patiendo; ut impii exardescant in persequendo, & sordescant in perseverando, & usque in finem vitæ suæ perdurent trucidando, ut apertè habeant unde damnentur in infernum. Justi verò quia jam probati sunt, dicatur eis: *Non mitto super vos aliud pondus*, id est, supra id quod potestis sustinere. Ac si diceret: non alteram doctrinam quam accepistis, & quantum vires vobis dedi, ut fortes essetis; tantum vobis impono tribulationis & angustiae pondus in hoc mundo, quantum portare potestis. *Verumtamen quod habetis, tenete donec veniam: & qui vincit, & qui servat opera mea usque in finem, dabo ei potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & ut vas figuli comminuentur; sicut ego accepi à Patre meo.* Jam suprâ dixerat, non mitto super vos aliud pondus, hic dicit: *Tenete donec veniam: & qui servaverit usque in finem*, ac si diceret, non erit super vos tribulatio, suprâ quam quod in præsentis sæculo toleratis; futuram tribulationem vobis non adjiciam. Et hortatur magis ut teneat quod habet, id est, doctrinam apostolicam: & tandiù suscepta custodiat, donec veniat Dominus. Quod qui impleverit, daturum se illi potestatem super gentes & regna promittit, ut regat illas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confrin-

gantur. Apostatas Angelos significat, qui dimiserunt principatum suum. Qui à Sanctis in diem iudicii iudicandi damnentur, & in sempiternum projiciantur in interitum, sicut Apostolus dicit: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Et sic ait: *Dabo ei potestatem, sicut & ego accepi à Patre meo.* Inde arbitror dixisse Joannem in epistola sua, quia *cum apparuerit, similes illi erimus.* Et dabo ei *stellam matutinam*, id est, Dominum Jesum Christum, quem numquam suscipit vesper, sed lux sempiterna est, & ipse semper in luce est, & indicat adhuc loqui eum Ecclesiis, *Qui habet septiformem Dei spiritum*, id est, in Dominum Jesum Christum, in quo Sanctus unius ejusdemque substantiæ requiescit Spiritus, & in cujus manu stellæ septem sunt, de quibus jam suprâ diximus. Et de multorum negligentia in Ecclesiæ congregationem redarguens, dicit, in hac Ecclesia esse mulierem Jezebel: mulierem pro ea causa dicit, pro qua re effæminatam & muliebrem operam vidit. Omnis enim qui molliter vivit, & carnis curam facit, non vir, sed mulier in Scripturis Sanctis nuncupatur. *Explicit explanatio.*

INCIPIT HISTORIA [ECCLSIÆ V.]

Cap. III. " **A** Ngelo Sardis Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui
 " habet septem spiritus Dei, & septem stellas:
 " Novi opera tua, quia nomen habes quòd vivis, &
 " mortuus es. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ
 " moritura erant. Non enim invenio opera tua plena
 " coram Deo meo. In mente ergo habe quomodo au-
 " disti & accepisti, & custodi, & pœnitentiam age.
 " Quod si non vigilaveris, veniam ad te sicut fur,
 " & non scis qua hora veniam super te. Sed habes
 " pau-

„paucā nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur candida veste, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Qui habet aures, audiat quid spiritus dicit Ecclesiis.” *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ in libro II.

Angelo Sardis Ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas: Novi opera tua, quia nomen habes quod vivis, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe quomodo accepisti, & audisti, & custodi, & pœnitentiam age. Corripit pigros Sacerdotes quos supra nominavimus: qui nec ipsi vigilant, nec populum sollicitant: qui non in Deum tota mente confidunt, nec fidem rectam in veritate custodiunt. Nomine tantum proferuntur christiani, vel in vitam christianam venisse dicuntur, sed mortui sunt, & propterea increpantur, ut vigilent, & cetera in quibus peccare poterant, corroborent: unde admonet: *In mente ergo habe qualiter acceperis, audieris, & docueris, & pœnitentiam age.* Vult ad memoriam ejus Apostolicam reducere doctrinam, & hoc quod in baptismo fidei repro-misit, præcipit custodire, & à veteribus malis agere pœnitentiam. *Nomen, inquit, habes quod vivis, sed mortuus es.* Non enim moritur, nisi qui mortale crimen admiserit. Non enim dicit: *Confirma quæ mori-*

tura erant, nisi ei qui in Sacerdotio est, & in officio constitutus, & dum hæc agit peccat, & per peccatum mors. Non enim confirmare potest qui officium doctrinæ amiserit. Multi enim legunt, & ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, & post vocem vacui recedunt. Quorum etsi venter comedat, animus & viscera non replentur. Quia etsi mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliviscendo & non observando quæ audierunt, hæc in cordis visceribus non reponunt. Hinc est enim, quod per Prophetam quosdam Dominus increpat dicens:

Aggæi 1. *Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati. Bibistis, & non estis inebriati.* Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cælestibus vel legendo vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit & non satiatur, qui verbum Dei audiens lucra vel gloriam sæculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur qui aliud comedit, & aliud esurit. Bibit, & non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinatur, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum devotus est, sed ea quæ sunt hujus sæculi adipisci desiderat, bibit, sed inebriatus non est: si enim inebriatus esset, mentem sine dubio mutasset. Unde & dicit: *Non enim invenio opera tua recta coram Deo.* Quod si recta essent, cælestia quærent, terrena nequaquam appeterent. Jam vana & transitoria quæ amaverant, non amarent. De electis namque per Psalmistam dicitur: *Inebriabuntur ab uberibus domus tuæ*; quia tanto Dei omnipotentis amore repleti sunt, ut mutata mente sibimetipsis ex-

tranei esse videantur. Implentes quod scriptum est: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum.* Semetipsum abnegat, qui mutatur ad meliora, & incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat. Sæpè autem quosdam videmus ad vocem prædicationis quasi ex conversione compunctos, habitum, non animum, mutasse; ita ut religiosam vestem sumerent, sed ante acta vitia non calcarent: iræ stimulis immaniter agitari, malitiæ dolore in proximi læsione fervere: de ostensis quibusdam bonis ante humanos oculos superbire, præsentis mundi lucra inaniter quærere, & de solo exteriori habitu quem sumpserunt, sanctitatis fiduciam habere. Bene ergo dicitur: *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Qui mortuus est, jam à Deo judicatus est. Non solum opera plena coram Deo meo non habet, sed omnino nihil habet. Certè mortuus est: unde manifestum est à malo Episcopo, vel Sacerdote in ejus omnem partem rediisse, cui dictum est: *Esto vigilans & confirma cetera quæ mortitura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, quomodo accepisti; custodi, & age pœnitentiam.* Hoc & de toto semine Ecclesiæ dicit: cui ille præesse videtur, cui adhuc comminatur, & dicit: *Quod si non vigilaveris, veniam ad te quasi fur, & nescis qua hora veniam super te.* Revertitur ad speciem de servo malo, qui dixit in corde suo, moram facit Dominus meus venire; & *veniet Dominus ejus hora qua nescit.* Tunc dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Sæpè jam diximus, in hoc servo omnium Episcoporum corpus esse, & per ipsos Episcopos omnia membra Ecclesiæ, quod sunt populi, unum corpus nominari. Et dicitur in Ecclesia, ut jam dic-

Matth.
16.v.24.

Matth.
24.v.48.

tum est, unus homo, & hujus capitis oculus est Episcopus, & hujus corporis manus est Presbyter, & hujus corporis pes est Diaconus. Et quid facit iste homo, nisi omnes sensus in capite portet, ita ut oculis videat, id est, præterita recordetur: præsentia ordinet, & semper futura prævideat, & occulta Testamentorum Dei, legis & Evangelii, medullitus investiget: auribus audiat, ut quod audierit, manibus faciat: naribus odoret, ut sciat quid odoris amplectatur, aut quid fœtoris respuat: ore loquatur, quod per hos tres sensus sub tribus testibus esse cognoverit: corde credat quod loquutus fuerit: manibus operetur quod crediderit: pedibus discurrat, quod per manus facere studuerit. Et cum hæc fecerit, totus homo cum multa membra videtur præferre, fastigium tamen si inter omnia membra caput suum habuerit sanum, facit quod voluerit: nam si fuerit caput infirmum, & oculus sine pupilla, & auricula sine auditu, & nasus sine odoratu, & lingua sine sermone, & cor sine intellectu, & manus sine operatione, & pedes sine gressu; quid facit talis homo, qui nec sibi nec aliis facit profectum? Si fuerit Episcopus negligens, oculus est sine pupilla hujus capitis. Si habuerit clerum negligentem, id est, cellæ suæ ministros, auricula est sine auditu. Si negligentias populorum sub se positorum non emendaverit, nasus est sine odoratu. Si legem & Evangelium non annuntiaverit, vel fecerit, (1) lingua est sine sermone. Si quod in Scripturis intelligendum est, aliter quàm intelligere opus erat intellexerit, cor est sine intellectu. Si Sacerdotes indoctos, vel minus instructos, aut neophytos

(1) *Id est*, vel non annuntiati fecerit.

ordinaverit, manus est sine operatione. Si Diaconos negligentes ordinaverit, pes est sine discursione. Quid de ceteris membris profectus poterit esse, in his membris intellige. Aut si forte dicis Episcopo, ego sanctus sum, religiosus sum, nullum crimen capitale admisi; utinam me potuissem salvare; quid mihi cura de aliis? Respondeo ad hæc: Nonne cum Rege vis convivare? Nonne ad cœnam nuptiarum agni invitatus es? Si manus sordidas habueris, non poteris cum Rege in una mensa manducare: id est, si Sacerdotes sordidos habueris, non poteris cum Rege uno in convivio epulari. Aut forte dicis Episcopo: Ego religiosam vitam facio, de Diaconibus quales sint non est meum judicare. Respondeo ad hæc: Nonne, ut diximus, ad cœnam invitatus es? Non poteris cum Rege uno lecto quiescere, si pedes sordidos habueris, id est, si Diaconos diœcesis tuæ, vel Presbyteros negligentes, & sordidos habueris, licet tu sanctus in opere videaris esse: quia non pro te tantum, sed pro commisso grege damna patieris. Damus & aliud exemplum. Quid facit iste homo quem diximus, si hyemis tempore à glaciali frigore & nivis inundatione comprimatur in medio itinere? Solet industria rusticana excussorium habere, quem vulgò *focilem* (1) nuncupant; habet & silicem, quem percutit ipso ferro: habet escam, (2) in qua scintillis micantibus ipse ignis accenditur. Concidet ligna, faciet struem, & subponitur ipse ignis; & cum ardere cœperit, è diversis partibus unus post alium catervatim

N ve

(1) *Aliis focale: vulgò bodie eslabón.*

(2) *Vulgò yesca, non à latino esca, sed à græco ἔσχα, fomes quo ignis accenditur.*

veniunt, qui se calefacere cupiunt; & omnes ab ipso igne titiones accipiunt, & suos sibi focos facere disponunt, etiam si immanissimus sit exercitus: & vivunt in nive cum igne qui accenditur, qui sine igne mori potuerunt. Ecce sic est Scriptura divina. In lege ignis Spiritus Sancti latet, sicut in petra silice. Et ne fortè aliquis calumniosus dicat: Petram silicem legi comparas? Audi per Ezechielem Prophetam Judæam Dominum increpantem: *Fili hominis, mitto te ad gentem apostatricem, quæ recesserunt à me, quorum dedi duram faciem velut silicem, & velut adamantem.* Quid in facie nisi cognitio? Quid duram faciem, nisi legem, ubi Spiritus Sanctus latebat, in quo se cognoscere potuerant? Quid in ferro excussorii, nisi Evangelium possumus accipere? De quo Dominus per hunc Joannem sequentibus se, & vincentibus dicit: *Qui servaverit opera mea usque in finem, dabo ei potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & ut vas figuli comminuentur, sicut ego accepi à Patre meo.* Quid facit silex sine excussorio? Quid facit lex sine Evangelio? nonne frigus? nonne gelu?

De quo gelu Dominus ait: *Quia abundavit iniquitas, refrigescit caritas multorum.* Escam verò, in qua ipse ignis Spiritus Sancti ab his duobus excutitur, & ab hac esca incenditur, homo est, ubi ignis, Spiritus Sanctus, per manus Ecclesiæ quod Sacerdotes nuncupamus, per legem & Evangelium hunc ignem ardere faciunt, de quo igne Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Ecce Dominus vult eum ardere; sed oculus sine pupilla non vult per silicem legis, & ferrum Evangelii, & escam corporis in unum copulare, & manus turgida non potest utrumque comprehendere, & ignem latentem litteræ scintillarum

Ezech. 2.
v. 3.
3. v. 9.

Matth.
24. v. 12.

Luc. 12.
v. 49.

rum prædicationis nullo sono percutere, neque ignem Spiritus Sancti accendere, neque falce prædicationis ligna vel spinas peccatorum incidere, aut cremare; & moriuntur cuncti sine hoc igne tempore hyemis istius sæculi, qui cum hoc igne vivere potuerant perpetui. Iste est homo quem in hoc libro dicit, & replicat, inculcat, & reiterat. Iste est servus nequam, qui sciens Luc. 12. v. 47. voluntatem Domini sui, non facit. Iste est, qui accep- Matth. 25. v. 25. tum talentum, id est, verbum prædicationis, abscondit in terra, id est, in terrena lucra. Iste est servus, qui dicit in corde suo, *moram facit Dominus meus venire*. Cap. 24. v. 51. Subito veniet Dominus hora qua nescit: Tunc *dividet eum, & partem ejus ponet cum hypocritis*: Non quod per partes eum disecet, sed integrum segreget à Sanctis. Quid de eo iterum dicat, audi & time, & quid dicat ministris pæve. Sic ait: *Ligate illi manus & pedes*, id est, cum suis Presbyteris, & Diaconibus, vel populo, qui eum imitati sunt, *mittite in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium*. De quibus tenebris per Sanctum Job dicitur: *Terra miseriæ & tenebrarum*. Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo quæ à conspectu districti judicis expulsos tenet, miseriæ & tenebrarum terra perhibetur: quia foris dolor cruciat quos divisos à vero lumine intus cæcitas obscurat. Quamvis miseriæ & tenebrarum terra intelligi & aliter potest. Nam hæc quoque terra, in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed tenebrarum non est: quia multa hic corruptionis nostræ mala patimur; sed tamen adhuc per studium conversionis ad lucem redimus, Veritate sua- Job 10. v. 22. dente quæ ait: *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*. Joan. 12. v. 35. Illa verò simul miseriæ & tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda ejus

mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redit,
 in cujus adhuc descriptione subjungitur: *Ubi umbra*
mortis, & nullus ordo. Sicut mors exterior ab anima
 dividit carnem, ita mors interior à Deo separat ani-
 mam. Umbra ergo mortis est obscuritas divisionis:
 quia damnatus quisque, cùm æterno igne succenditur,
 ab interno lumine tenebratur. Natura verò ignis est,
 ut ex se ipso & lucem exhibeat, & concremationem:
 sed transactorum illa ultrix flamma vitiorum concrema-
 tionem habet, & lumen non habet. Hinc est enim quod
Matth. reprobis Veritas dicit: *Discedite à me maledicti in ig-*
25.v.41. *nem æternum, qui præparatus est diabolo, & Angelis*
ejus. Quo rursus omnium corpus in unam personam
 significans dicit: *Ligate ei manus & pedes, & mit-*
tite eum in tenebras exteriores. Si itaque ignis qui re-
 probos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur
 nequaquam mitti in tenebras diceretur: quia quos
 illuc gehennæ flamma devorat, à visione veri luminis
 cæcat, ut & foras eos dolor combustionis cruciet, &
 intus pœna cæcitatæ obscurat. Quatenus qui auctori suo
 corpore & corde deliquerunt, simul corpore & corde
 puniantur: & utrobique pœnas sentiant qui dum hic
 viverent, pravis suis delectationibus ex utroque ser-
 viebant: unde rectè per Paulum dicitur: *Neque exhibe-*
Rom. 6. *batis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Cum
v. 13. armis ergo ad infernum descendere, cum ipsis
 membris quibus desideria voluptatis expleverunt, æterni
 judicii tormenta tolerare: ut tunc eos undique dolor
 absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, undi-
 que contra justitiam justè judicantis pugnant. Revertitur
 ad eum quem sæpe nunc increpans ait: *In mente*
ergo habe, quomodo accepisti, & audisti. Custodi, &
age pœnitentiam, & vigila. Quod si non vigila-
ve-

veris, veniam a te sicut fur, & nescies qua hora veniam ad te. Subitum Dei iudicium & secretum, advenientis horam sententiæ nullus intelligit: nec in totum miseros pietas punit, sed contrariò consolatur dicens: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Omnis ergo qui non inquinatur sorde peccati, cum Domino ambulat in albis, & dignus efficitur, ut agni vestigia prosequatur. Nec deletur nomen ejus de libro vitæ, sed confitebitur ipse eum coram Patre suo, qui est in cælis, & coram Angelis ejus. Magna laus paucorum inter multos inquinatos, in virtute militantium. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse: ita magnæ virtutis est, bonum etiam inter malos extitisse. Hinc est quod beatus Job dixit: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Hinc & Ezechieli dictum est: *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Nobis consolationis medicamentum profertur, quos sæpe tædet vivere, dum nolumus cum malis habitare. Quærimus enim, cur non omnes boni sunt qui nobiscum vivunt? Mala proximorum ferre nolumus: omnes, sanctos jam debere esse decernimus, dum esse nolumus quod ex proximis portemus. Sed hac in re luce clarius patet, dum malos portare non novimus, quia multum adhuc ipsi de bono minus habemus. Nemo est bonus, nisi qui novit tolerare malos. Nam, sicut suprâ diximus, Job dicebat: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Quid per draconum nomen nisi malorum hominum vita signatur, de quibus per Prophetam dicitur: *Traserunt ventum quasi dracones.* Perversi etenim quique

Job 30.
v. 29.
Ezech. 2.
v. 6.

Jerem.
14. v. 6.

ventum trahunt quasi dracones, cum malitiosa superbia inflantur. Qui autem struthionum appellatione intelligi, nisi simulatores, solent? Struthio enim pennas habet, & volatum non habet. Quia simulatores quique speciem sanctitatis habent, sed virtutem sanctitatis non habent: visio quippe eos boni acti decorat, sed à terra minimè penna virtutis elevat. Hinc Paulus

Philip. 2.
v. 15.

Apostolus discipulis ait: *In medio nationis pravae & perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes.* Hinc Petrus beatum

2. Petr.
2. v. 7.

Lot glorificat dicens: *Et justum Lot oppressum à nefandorum injuria, & conversatione ereptum fuisse.* Aspectu enim & auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant. Hinc per Joannem hunc Angelo Pergami Ecclesiae adtestatur, dicens: *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Sæpè verò cum de vita proximorum conquestum aut querelam habemus, mutare locum volumus, & secretum vitae remotioris eligere conamur habitaculum. Videlicet ignorantes, quia si non fuerit ibi Spiritus Sanctus, non adjuvat locus. Idem enim Lot, de quo loquimur, in Sodomis Sanctus extitit, in monte peccavit. Qui autem loca requirunt, & mentem non custodiunt, ipsum humani generis primum parentem intelligant, & ipsum testem habeant, qui in paradiso cecidit. Nam si locus salvare potuisset, Satan de cælo non caderet. Unde Psalmista, ubique tentationes in hoc mundo esse conspiciens, quæsit locum quo fugeret; sed sine Deo non potuit munitum locum invenire. Ex qua re & ipsum, locum sibi petiit, propter quem, locum quæsit, dicens: *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum,*

Psal. 30.
v. 3.

tum, ut saluum me facias. Tolerandi ergo ubique sunt proximi; quia Abel fieri non valet, ut eum ne quantulumcumque possit imitari, quem Cain malitia non exercet. Unum verò est pro quo vitari malorum societas debet, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant: & cum ipsi sua malitia non mutantur; eos qui sibi conjuncti fuerint, subvertunt. Unde Paulus ait: *Corrumpunt mores bonos conloquia mala.* Sed sicut per Salomonem dicitur: *Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia & eos proximos quos habent sæpè ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad perversitatem numquam trahuntur; ita infirmi quique societatem debent declinare malorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aërem trahimus corpore; & sicut malus aër assidue flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat dilectione pravi operis per assidui iniquitatem sermonis. Notandum verò est quid Dominus ait: *Multi sunt vocati, sed pauci electi: Et pusillus est grex cui compromisit dare hereditatem.* Proinde ergo dicit: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, sed ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Ad quorum habitum & alios provocat, dicens: *Qui vicerit, sic vestietur candida veste.* An nesciebant pauci Sancti, esse sui habere in medio inquinatorum multitudinem, & propterea ipsi immaculati esse potuerunt? Sancti enim esse

1. Cor.
15. v. 33.
Prov. 22.
v. 24.

Matth.
20. v. 16.

Luc. 12.
v. 32.

non possunt, nisi gementes, & mœrentes propter iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum, spiritualem nequitiam in cælestibus: & quantum malum vident, tantum majorem afflictionem pœnitentiæ habent: & qui hæc non habent, non sunt Sancti. Possunt & mali fratres non videre justos propter similitudinem professionis quam quasi unanimiter tenent, & æqualem virtutem, meritumque afflictionis pœnitentiæ non habent: & cum eos vident in uno religionis habitu, suos similes arbitrantur, quod nullius veræ justitiæ insignibus præfulgeant, & sine testimonio vivere dum justum neminem putant; & ubi est quod ipsi dicunt:

*Sap. 2.
v. 15.* *Gravis est nobis etiam ad videndum? Et non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Explicit Ecclesia V. in libro II.*

INCIPIT ECCLESIA SEXTA in libro secundo.

Cap. III.
v. 7.

“ **A** Ngelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Ecce dedi ante te ostium apertum: scio quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum. Ecce do de Synagoga Satanæ qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & cognoscent quia ego dilexi te. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego te servabo ab hora tentationis, quæ ventura est in universum orbem tentare habitantes in ter-

»rà. Ego veniam cito : tu tene quod habes ; ne alius
 »accipiat coronam tuam. Qui vincit , faciam illum co-
 »lumnam in templo Dei mei , & foras amplius non
 »exiet. Et scribam super illum nomen Dei mei , &
 »nomen novæ Jerusalem descendentis de cælo à Deo
 »meo. Qui habet aures , audiat quid Spiritus dicat
 »Ecclesiis.» *Explicit historia Ecclesiæ sextæ.*

INCIPIT EXPLANATIO
 supradictæ Ecclesiæ.

Angelo Philadelphix Ecclesiæ scribe : Hæc dicit
 Sanctus & verus , qui habet clavem David : qui
 aperit , & nemo claudit : claudit , & nemo aperit.
 David latino eloquio fortis manu interpretatur. Utique
 quia fortissimus in præliis fuit. Ipse & desiderabilis , in
 stirpe scilicet sua. De quo prædixerat Propheta : *Veniet desideratus cunctis gentibus* , id est , Jesus Chris-
 tus incarnatus , qui habet clavem David , & cuncta
 legis & Prophetarum mysteria , quæ signata & clau-
 sa latebant sub littera occidente , aperuit , & intelli-
 gere fecit Ecclesiæ suæ in Spiritum vivificantem : quia
 nisi Christus veniret , nemo erat qui clausa aperiret.
Et habet clavem David , id est , regiam potestatem ,
 quam habet super Ecclesiam suam. Manifestum est
 quod suis , pulsantibus , aperiat ; & hypocritis , id
 est , simulatoribus , vitæ januam claudat , pulsantibus ,
 & dicentibus : *Domine , Domine aperi nobis* : quibus
 dicit : *Nescio vos unde estis. Discedite à me opera-
 rii iniquitatis.* Suis verò Sanctis dicit : *Petite , &
 dabitur vobis ; quærite , & invenietis ; pulsate &
 aperietur vobis.* Quid est petere , nisi intenta men-
 te , & toto corde , & tota anima , & ex tota forti-

*Aggæ. 2.
 v. 8.*

*Luc. 13.
 v. 25.*

*Matth. 7.
 v. 7.*

tudine, intenta devotione Deum diligere, & sine intermissione orare? Hoc est Deum petere. Et quid est quærere, nisi omni hora bonum cogitare, & cogitationes noxias radicitus à suo corde evellere? Hoc est Deum quærere. Et quid est pulsare, nisi semper manibus bona operari, & proximum sicut se ipsum diligere, & inimicum propter Deum amare, & omnes injurias patienter ferre? & si quis tibi aliquid tulerit, ut eum lucrificas, supra quam tulit tunicam, non dubites addere ei & pallium. Hinc Dominus in

Matth. 5.
v. 40. Evangelio ait: *Si ipsos diligitis qui vos diligunt, qualem mercedem inde habebitis? Nonne & Gentiles hoc faciunt?* Sed si ipsum diligis qui te odio habet, hæc est vera merces apud Deum, ut Propheta ait:

Ps. 119.
v. 7. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus*: hoc est propriè animam ponere pro fratre. Hinc per Salomonem dicitur: *Fortis est dilectio sicut mors.* Et non solum diligamus, sed etiam de lucro nostro atque compendio aliquid eis offeramus, qualiter cum eis fœderante amicitia verbum exhortationis habeamus, qualiter eos in membris Domini, id est, Ecclesiæ, conjugere valeamus. Hinc Jacobus ait: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvat animam ejus à morte, & cooperit multitudinem peccatorum.* Et super hæc Apostolico more pulsare est manibus nostris propriis operari, & nullum gravare, egenis propria tribuere, & aliena non quærere. Quia quamvis omnem censum nostrum in pauperes distribuamus, nihil apud Deum erit pretiosius, nihilque tam carius, nisi quod manibus nostris laboraverimus, cum fecerimus, præparaverimus, & edendum apposuerimus, si-

cut Apostolus dicit : *Qui non vult laborare , non manducet.* Hoc est propriè pulsare , quæ Deus re-
 misit aperire. Laborantibus enim Dominus refectio-
 nem promisit , quam non in hoc sæculo , sed in fu-
 turo sine dubio dabit. Sicut ait : *Venite ad me omnes qui laboratis , & onerati estis , & ego vos reficiam.*
 Otiosis verò & pigris dicendum est : *Recepistis mercedem vestram , quia esurivi , & non dedistis mihi manducare , & cetera.* Propterea *discedite à me operarii iniquitatis.* Sanctis verò suis dicit : *Ecce dedi ante te ostium apertum.* Ante dixit , *qui aperit , & nemo claudit* , tamquam si diceret : Ostium quod ego Ecclesiæ aperio , nemo æstimet in toto mundo aliquem vel minimum Sanctòrum , vel in partem aliquam à me excludere : & ostium , quod semel aperui , aliquis hæreticorum possit ei claudere. Tamen , si petierit , & quæsierit , & pulsaverit , faciam quæ promisi. Et quia sine Deo non possumus esse , nec vivere , nec laborare ; tamen præcepit Dominus servo laboranti , spinas divitiarum incidere , & radices vitiorum eradicare , & peccatorum sterqus foras domum in agro spargere , & semen boni operis in agro culto seminare , & sepem fidei claudere. Et solet sator , postquam hæc fecerit , dormire , & illud semen germinare , & radices & folia mittere , & die & nocte pluvia & sole indesinenter crescere : solet etiam diversa herbarum semina , id est , zizania , quæ malus homo dormienti satori seminat. Sed cum dixerit sator : *Exurge , quare obdormis Domine ?* ingressus in agro corporis , aliud evellet , quod magnum est : quod verò minimum , non tangit , quia messem opprimere non prospicit. Ita est Ecclesia. Laborat & Dominus pluviam præceptorum suorum tribuit , & à locustis dæmoniorum excludit,

2.Thes.3.
v. 10.

Matth.
11.v.28.

Cap. 6.
v. 5.

Luc. 13.
v. 27.

Matth.
13.

Psal. 43.
v. 23.

dit, & aëreas potestates transvolare facit, & tempestates procellosas malorum hominum sedare facit, & aprum de silva principem terrenum malignum effugare facit, & messem suam, quam cum laboratore dicit se habere communem, tuetur quotidie & defendit. Ista Ecclesia est, quæ tenet rusticanos homines, & sanctos qui humiles in sæculo sunt, & Scripturas ignorant, sed tamen fidem immobiliter tenent: nec omnino ullo casu timefacti retrahuntur à fide. Ideo ait ad illos: *Ecce dedi in te ostium apertum, & addit: Quoniam servasti verbum patientiæ meæ in tam parvis viribus, & ego te servabo ab hora tentationis.* Istius modi sciunt hi tales in Ecclesia gloriam suam. Et quia simplices & humiles sunt, & neminem malitiosè tentando lacesunt, inde Dominus nec parum quidem in tentatione eos tradi permittit. Ista est Ecclesia, quam sibi Dominus gratuita miseratione sine alicujus doctrina, vel philosophia, eligere facit. Et quia supradictas Ecclesias singillatim per Sacerdotes increpat; hanc verò Ecclesiam ipse Pastor cælestis gubernat.

*In prima Ecclesia Ephesi falsos Apostolos, & deserta caritas imputatur. II. In Angelo Smirnæ Ecclesiæ falsos fratres, qui se dicunt religiosos esse, & non sunt, sed in Antichristi membris jam corporaliter inveniuntur, increpat. III. In Angelo Pergami Ecclesiæ falsos religiosos, & idolothitorum esus, & Nicolaitarum doctrina reprehenditur. IIII. Iterum apud Anglum Thiathirinorum Jezabel Prophetissa, & simulacrum esse, id est, similitudo Ecclesiæ, increpatur. V. In Angelo Sardis Ecclesiæ Episcopos increpat, qui nomen habent tantum, sed mortui sunt. Iphis quasi uno corpori commemorans dicit: *In mente habe quomodo audisti, & accepisti.* VI. In Angelo Philadeliæ, quod latino elo-*

eloquio interpretatur *salvans*, credentem Domino, & quod simplicitate rustica, & fide recta inviolabili se devotionis observatione custodit. Et quia sine Deo etiam viribus nulla virtus est; ipse est qui pugnat pro nobis, & vincit pro nobis. Et quamquam ille hoc facit, facta tamen suæ Ecclesiæ adscribit, & imbecillitatem prospiciens dicit: *Scio quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Suprà dixerat: *Ecce dedi coram te ostium apertum*, Evangelicam fidem, & apostolicum sermonem: quod nemo potest claudere. *Quia modicam habes virtutem.* Sciens humanam fragilitatem miseratus Dominus dicit: Sic tibi januam scientiæ, & fidei arcana patefeci, ut propter exiguitatem virium tuarum nullus claudere, quæ tibi aperta sunt, convalescat. *Et servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Et quia jam suprà beneficii sui asseruerat potestatem, Dominus etiam gratiam quam dedit, ipsius operi assignat: eo quod per conlatum sibi à Domino munus, servus fidem servaverit, nec nomen negaverit sempiternum. *Modicam*, inquit, *habet virtutem.* Laus est protegentis Dei, & tamen devotionis Ecclesiæ, quod Deus modicæ virtuti aperiat ostium vincendi, & quod modica virtus fide roboretur. Non enim virtus requirenda est, sed fides. Neque enim una mulier Judith Olofernem per virtutem occidit, sed per fidem. Nec credendum erat, ut infirmus sexus arriperet manu propria gladium, trucidaret persecutorem Ecclesiæ, & hostium cuneos expugnaret: non fuit hoc temeritatis audacia, sed constantiæ virilis fiducia. Filii quoque Israel, cui tot mirabilia virtutum patuerunt, de Dei fiducia dubitantes, diversis cladibus oppressi perierunt in eremo. Manna manducando à serpen-

pentibus interempti sunt : etiam igne , & gladio. Murmurando & diffidendo non solum terram repromissionis non intraverunt , sed caelestia regna perpetim perdididerunt. Multi enim de Ægypto istius sæculi exeunt , & in eremi angusto calle ingrediuntur , & manna caelestis gratiæ , Scripturarum secreta , penetrant ; sed viam caelestis repromissionis minime inveniunt , sed solum simplices , & rustici , & recti corde. Etiam si fuerint litterati , non possunt reperire viam , nisi Apostolos rusticos fuerint imitati. Non vocavit Deus grammaticos , aut Philosophos , aut Oratores primitus in Apostolatam , sed simplices , pauperes , & piscatores. Numquam potuit ullus Philosophorum dicere : *Tu es Christus filius Dei vivi*. Numquam potuit Demostenes , Cicero , aut

Joann. I. Cato Philosophus dicere : *In principio erat verbum , & verbum erat apud Deum*. Ecce probamus Petrum , & Joannem , non Philosophos , sed rusticos , & idiotas , esse Apostolos. Petrus callosa manu simpliciter filium Dei prædicando , venit in Romam , ipsum annuntians Imperatorem , & Romani Populi conditorem , quem virgo peperit , non Romulum , quem Lupa nutrit. Ecce non Philosophi verbum implevit mundum , sed Petri rustici , qui confitetur hominem Dei filium. Illius quippe gloriosissimum corpus Romana urbe requiescit in tumulo , sed lingua toto claret in mundo. Etsi loculo teneatur in corpore , beneficiis tamen patet ubique. Ad ejus sepulcrum adorandum ex devotione venit Imperator , pedes osculans rustici , coronam deponit de capite. Cujus virtus est hæc , nisi ejus quem credidit plena fide ,

1. Cor. I. & prædicavit plena devotione ? Ecce patet , quia Dominus infirma mundi elegit , ut confunderet fortia. Stulta mundi elegit , ut confunderet mundi sapientes : paupertatem & rusticitatem mundi elegit , ut confunderet

Matth.
16. v. 16.

Joann. I.

1. Cor. I.
v. 27.

superbos divites. Neque enim Dominus humiles sæculi sapientes, aut humiles sæculi fortes, aut divites sæculi reprobatur, & potentes, cum & ipse sit sapiens, & fortis, & potens: sed solum, ut diximus, superbos, & Deum ignorantes, & in suis divitiis spem habentes. Ecce & multi justis cum divitiis Deo placuerunt. Abraham testatur dicens: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Non impediunt divitiæ, neque sapientia, ubi abundat humilitas. Aliter peccat justus, aliter peccator, aut iniquus. Aliter cadit justus, & aliter iniquus. Scriptum est enim: *Septies cadit justus, & resurgit;* sed non tale admittit peccatum, ut justus esse desinat. Sed subtilem profert risum, aut sine contumelia jocum, aut certè cogitatum quem non convenit cogitare. Iste talis & peccare dicitur, & tamen justus veraciter appellatur. Non enim sic cadit, ut justus non sit, quia scriptum est: *Dum ceciderit justus, non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manus ejus.* Adest ergo Dominus etiam cadenti justo, quia non sic peccat, ut Dominus ab eo discedat. Habet enim concupiscentiam ex infirmitate carnis, sed concupiscentiæ non consentit, firmatus virtute gratiæ spiritualis. Ipsa concupiscentia est lex peccati, etiam in membris constituta Sanctorum; à qua tamen justos suos liberat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Quia propterea peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut à peccatis nostris separati cum justitia vivamus. Cum ergo cadit justus, debita contrahit. Sed alia sunt debita justis, quæ poscit in quotidiana oratione dimitti, quando veraciter dicit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Peccata enim Sanctorum sunt ex necessitate infirmitatis. Peccata iniquorum sunt ex intentione

Gen. 18.
v. 27.

Prov. 24.
v. 16.

Psal. 36.
v. 24.

ne pessimæ voluntatis. In illis sic peccati reperitur exortus, ut non subsequatur effectus; quia etsi per infirmitatem vitium nascitur, per Dei gratiam superatur. Istos autem gratiæ privatos auxilio præcipitat mala voluntas, quò duxerit mala cupiditas. Ideo culpæ sanctorum peccata dicuntur esse, non crimina. Pro quibus sic corripiuntur à patre, ut non condemnentur à iudice. Quæ tamen correptio pertinet ad iudicium, sed paternum, quo Deus filios suos misericorditer & iudicat & flagellat, ut eos à supplicio sempiternæ damnationis eripiat. Ob hoc beatus Apostolus ait: *Si nos metipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Dum iudicamur à Domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Peccata ergo iniquorum tribus modis fiunt: aut sacrilegiis, aut flagitiis, aut facinoribus. Sacrilegia admittit, qui de Deo rectè non sentit, & à vera fide sive timore temporalium lucrorum sola cordis cæcitate ac perversitate discedit. In flagitiis verò peccat, qui immoderatè & turpiter vivit. In facinoribus peccat, qui alium aut damnis, aut quibuslibet oppressionibus crudeliter lædit. Dum autem peccant Sancti, sic in quolibet peccato humana infirmitate cadunt, ut nec de vera fide pertinaciter contradicant; nec se ipsos in tale peccatum polluant, nec proximum lædant: sequentes Apostolum dicentem: *Iustè, sobriè, & piè vivamus in hoc sæculo.* Et alio loco dicit: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Verumtamen in hac triplici divisione *iustè, sobriè, piè vivamus*, videtur mihi quia ille sobriè vivit, qui non sequitur delectamenta luxuriæ. Iustè vivit qui proximum nullatenus lædit; sed ei beneficia, in quantum valet, impendit. Piè vivit, qui à societate

1. Cor. II
v. 31.

Ad Tit.
2. v. 12.

Ecclesiasticæ unitatis nulla ratione discedit, & intra Ecclesiam positus ea quæ certissimè novit ad scientiam veræ fidei pertinere indubitanter tenet. Illa verò quæ ignorat, aut de quibus dubitat, & intelligere in Scripturis non valet, humiliter ac patienter ruminando & relegendo perquirat, donec si quid aliter sapit, Deo sibi revelante cognoscat. Hæc autem sobrietas, justitia, & pietas, quæ cunctis debent inesse fidelibus, ita sibi conjunctæ sunt, ut si una earum non fuerit, alia quæ videtur esse, nullatenus prosit. Neque enim salvat sobrietas qua quisque à flagitiis, id est, peccatis, in se ipso abstinere, nisi pia & justa fuerit, id est, ut & in Deum rectè credat; & quod caritas poscit, proximo libenter impendat. Nec fructuosa justitia est, qua unusquisque hoc impendit proximo quod sibi delectatur impendi, aut fieri, si sobria & pia non fuerit. Pietas quoque mortua est, qua rectè in Deum vel in unitate Ecclesiæ creditur, si castitas, vel proximi caritas, non tenetur. Tunc igitur animæ vera salus acquiritur, si & pietas in fide, & justitia in caritate, & sobrietas in castitate, ac humanitate, teneatur. Et ut breviter intra Ecclesiam quid observetur edoceam, ut aliquid in ipso usu attendamus conversationis humanæ unde facilius sumamus exemplum, aperte intelligite. Sic accipiamus baptizatorum omnium hominum animas, sicut mulieres conjugio copulatas. Nam & ipsius conjugii magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia commendat Apostolus. Sic est ergo quælibet anima fideliter conjuncta Christo, sicut uxor vivens fideliter cum marito, quæ in ipsa conjugii castitate animum quidem viri sui aliquoties contristat, sed lectuli fidem pura castitate conservat, & mariti substantiam prudenter temperan-

*Ephes. v.
v. 32.*

terque dispensat ; ac per hoc & peccat marito , & vivit tamen castè , ac fidelitè cum marito . Et cum facit humana infirmitas aliquando apud maritum delinquere , conjugalis castitas facit marito dulciter jungerè . Illa verò mulier quæ sive de domo mariti egressa , sive in eodem mariti habitaculo constituta , adulterio mixta fuerit , substantiam viri disperserit , non venia judicatur digna , sed mortifero reatu tenetur criminosa . Sic est anima quæ , diabolo consentiens , aut infidelitate subvertitur , ut rectè Deum non credat : aut criminibus implicatur , si delectamenta luxuriæ sectatur : aut injustitiam facit , si proximum lædit : aut avaritiam tenet , si egenti bene non facit : aut impiè vivit , & ab unitate Ecclesiæ discedit , aut cuilibet superbiam facit . De talibus dicit Apostolus , Quia *neque fornicarii , neque idolis servientes , neque adulteri , neque molles , neque masculorum concubitores , neque fures , neque avari , neque ebriosi , neque maledici , neque rapaces regnum Dei possidebunt* . Hæc omnia crimina dicuntur & peccata . Justorum verò delicta peccata dicuntur , non crimina . Peccatum in opere perpetratur , cum dicimus aut subtilem risum , aut sine contumelia jocum ; aut pro disciplina curarum familiarium , sine qua non potest homo vivere , & vel diei unius spatio sine peccato esse , Joanne Apostolo attestante : *Si dixerimus , quia peccatum non habemus , nos ipsos seducimus* . Delictum verò est solum in prava cogitatione , quod foras nec verbo nec facto expletur in opere . Unde & Apostolus ait : *Si justus quidem vix salvus fiet , peccator & impius ubi parabit ?*

1. Cor. 6.
v. 9.

1. Joan. 1.
v. 8.

1. Petr. 4.
v. 18.

Deinde sequitur pro inimicis Ecclesiæ devincendis , & dicit : *Ecce dabo de Synogoga Satanæ , qui*

se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant & adorent ante pedes tuos, & cognoscant quia ego dilexi te. Omnes ergo inimicos Ecclesiæ Catholicæ, vel hostes, à Catholica judicandos narrat Ecclesia. Sicut Apostolus dicit: *In regeneratione cum venerit filius hominis, tunc & vos sedebitis super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel.* Tunc venient profecto qui se dicunt Judæos, id est, religiosos esse, & non sunt: *Et adorabunt ante pedes Ecclesiæ, & cognoscent quoniam Dominus dilexit eam.* Hoc omni Ecclesiæ tunc in futurum promisit, quando eam ex omni natione in unum congregaverit: quia non Philadelphiæ Ecclesiæ tantum crediderunt, sed & ceteræ Ecclesiæ. Secundo Smirnæ Ecclesiæ Angelo ait: *Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, & non sunt:* non tamen promisit venturos ex eis, & adoraturos ante pedes Ecclesiæ, id est, ante pedes corporis Christi. Quod & in futuro factum credimus esse, quamvis & in hoc sæculo omnes ad pœnitentiam ante pedes Ecclesiæ supplices veniunt, tamen in futurum intelligendum est. Sexto verò Angelo, qui est ante septimum, promisit quod ceteris supradiçtis Angelis, id est, Ecclesiis, sine promissione concedebat: quia non solum unam Ecclesiam expectat Dominus ad pœnitentiam, sed totas septem, cum sit per universum mundum una Ecclesia. Si quid enim provenerit uni membro, omne corpus consentit. Et adjecit: *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego te servabo ab hora tentationis, quæ ventura est in universum orbem, tentare habitantes in terra.* Ecce manifestissimè declaravit non se tantum præsentibus, sed etiam futuris sæculis loqui. Et in novissimo tempore suam se promittit Ecclesiam servaturum, quan-

Matth.
19.v.28.

do venerit Antichristus humani generis inimicus tentare habitantes super terram ; ne turbentur in tentatione, qui futuri sunt. Sicut tunc non Philadelphia sola servata est , licèt soli promiserit ; ita & nunc. Nam si sola Philadelphia , aut nunc Africa , verbum patientiæ Dei servavit , quid postea in totum orbem promittit tentationem venturam ? Apertè dicimus , quia non est in toto orbe qui tentetur præter Ecclesiam. Et hoc quod Philadelphici dicit , omni Ecclesiæ dicit. Et quia sua Ecclesia est , tutelam protectionis quotidie promittit , dicens : *Servabo te ab hora tentationis , quæ ventura est in universum orbem.* Sicut enim in Africa factum est ; ita fieri oportet in toto mundo revelari Antichristum , sicut & nobis ex parte revelatum est ; & hoc esse novissimæ persecutionis genus eo tempore quando venerit Antichristus : nihilque aliud fieri , nisi pressura qualis non fuit ab initio ex quo gentes esse cœperunt : & eodem modo ab Ecclesia ubique Antichristum superari , quo etiam ab ea in parte superatus est ; ad ostendendum novissimi certaminis modum. Nam modo semper Antichristus ab Ecclesia superatur. Non enim , ut aliqui putant , Antichristum uno in loco esse Ecclesiam persecuturum , cùm dicat , quia ubique Antichristi sunt. Antichristus Rex erit novissimus in toto mundo regnaturus , qui se dicet Deum , id est , Christum. Modò verò Antichristus occultus est in Ecclesia , quia adhuc aperte non habet potestatem datam. Tunc verò cùm venerit , omnem mundum suæ potestati sociabit. Sicut de eo per Job dicitur : *Et post se omnem hominem trahit , & ante se innumerabiles* : hoc loco omnem hominem , humana sapientes dicit. Sed cum plus sint omnes , quam innumerabiles , quærendum nobis est , cur ante se innumerabiles , & post se omnes trahere dicatur?

tur? Nisi quod antiquus hostis reprobum tunc hominem ingressus, id est, Antichristum, cunctos quos carnales invenerit, sub jugum suæ ditionis rapiet: qui & modò priusquam appareat, innumerabiles quidem, sed non tamen omnes carnales trahit; quia Deo miserante quotidie à carnali opere ad vitam multi revocantur, atque ad statum justitiæ: alii per brevem, alii verò per longam pœnitentiam redeunt. Et modò non omnes rapit, sed innumerabiles, quia adhuc falsitatis suæ stupenda miraculorum omnibus signa non exhibet. Cum verò eo tempore coram carnalibus oculis, sicut Magi fecerunt, miranda eis signa oculis fecerit, tunc post se innumerabiles, & omnes trahet. Quia qui in hoc sæculo bonis præsentibus delectantur divitiis, potestati illius se absque ulla reluctatione subjicient. Sed, sicut suprà diximus, quia plus est omnem hominem trahere, quàm innumerabiles, quare prius dicitur quia omnem hominem trahit, & post addit innumerabiles? Ordo verò erat, ut prius diceret quod minus est, id est, innumerabiles, & post in augmento, quod majus est, diceret omnes. Sed sciendum est, quia in hoc loco plus fuit innumerabiles dixisse, quàm omnes; & post se omnem hominem trahit, quia in tribus annis & dimidio omnes quos in studiis vitæ carnalis invenerit, jugo suæ dominationis adstringet. Ante se verò innumerabiles trahit, quia per quinque millia & adhuc amplius annorum curricula, quamvis carnales omnes trahere non potuit, multo tamen plures sunt in tam longo tempore, quàm quos adhuc rapiendos invenerit. Bene ergò dicitur, *post se omnem hominem trahit, & ante se innumerabiles*; quia & tunc minus tollit cum in fine omnes tulerit, & modò amplius rapit, cum corda omnium [non] invadit, quia necdum è medio Ecclesiæ verus Christus discessit, qui

dicit : *Ego veniam cito : tu tene quod habes , ne alius accipiat coronam tuam.* Velocem suum prædixit adventum , & introitum Satanæ citius esse futurum. Nec longam tentationem futuram esse pronuntiat , & ideo admonet ne hostis rapiat coronam ejus. Sicut & Salomon dicit : *Ne des alienis honorem tuum , & annos tuos crudelibus.* Magna nobis fiducia asserendi ubique Ecclesiæ perseverantiam inquisitione conlata est. Habemus quid respondere calumniantibus , qui dicunt Ecclesiam deficere , & ad numerum domus Noe , multis coronas perdentibus , posse deduci , quòd dixerit Dominus , *Tene quod habes , ne alius accipiat coronam tuam :* minus considerantes invenisse atque proferre : si enim corona alteri traditur , perdita non est : vacuus locus ejus est qui quod tenebat perdidit. Quid est autem quod dicit : *Ne alius accipiat coronam tuam ?* (Non enim propterea debemus tenere quod habemus , ne alius accipiat , & non etiam ipsi perdamus) nisi quia Deus & promissionum suarum firmitatem voluit ostendere , & vanæ spei locum non permittere ? Ne forte aliquis sibi de Dei promissione fiducialiter blandiretur , & piger & tepidus remaneret ; & quibuscumque modis sub

Prov. 5.
v. 9.

Gen. 16.
v. 3. 4.

Matth. 3.
v. 9.

religione vivendo , Abrahæ se filium putaret , eo quod Abrahæ Dominus promisit jurejurando , in semine ejus hereditare omnes gentes ; propter hoc ostendit fortiter tenere , & ne alius acciperet , habere mandavit , & coronam non perseverantibus posse auferri , & qui videtur non deficere , sed usque in finem perseverare , coronam suam semper habebit. Hæc est enim potentia , hæc est enim firmitas promissionum Dei , ut quibusdam Abrahæ filiis repudiatis , multo plures è lapidibus suscitet filios Abrahæ : ne aut mali se Abrahæ filios glorientur , aut Abraham suos filios Deo debitore &

nutritore perdiderit. Sic Sanctorum numerum impossibile est zizaniorum crescentium perfidia breviari; impossibile est, ut diximus, ut messis inter zizania disturbetur. Si disturbatur, non est messis, sed zizania: siquidem ambobus crescere usque ad maturitatem Deo iudice permissum est. Perseverantibus verò dicit: *Qui vincit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras amplius non exiet.* Columnam pretiosam & multis utile membrum dixit in suo corpore conjungendum, ut & ornatum præstet & fortitudinem, sicut & Paulus Apostolus dicit: *Jacobus & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* In templo Dei mei, id est, in multitudine beatorum. *Et foras, inquit, non egredietur amplius.* A sanctorum, scilicet, consortio, revera à merito & gloria electorum numquam exiet. A Deo enim exierant Gentiles, sicut scriptum est per David: *Commemorabuntur, & convertentur ad Dominum omnes patriæ gentium.* Convenit autem & in eos quos de Synagoga Satanæ promisit futuros. De domo enim Dei schismate foras exierant. Magis in eos convenit: dum enim dicit amplius non exiturum, ostendit novissimum certamen in fine. Futura est enim post unitatem altera separatio novissimo certamine, à quo si quis liberandus est, foras non exiet. Antea verò propterea Dominus Deus aliquos qui postmodum liberandi essent, exire passus est, quod superesset tempus redeundi: hos novissime amplius exire non permittet, quoniam quisquis tunc foras exierit, tempus redeundi non habebit. *Et scribam super illum nomen Dei mei, & nomen civitatis novæ Jerusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo: ut & divino nomine præsignetur, & immortalitatis gloria decoretur, & nomen divinæ civitatis novæ Jerusalem, quæ*

Galat. 2.
v. 9.Psal. 21.
v. 28.

est visio pacis, accipiat, & sic quietis perpetuæ & securitatis otio perfruatur: ipsa est civitas quæ descendit de cælo à Deo, ut inhabitent in ea, & requiescant Sancti. *Et nomen meum novum.* Nihil in Deo vetus est, qui non veterascit ætate, sed nomen Dei semper novum, semper rectum est. Et si qui isto nomine titulatur, in æterna potestate translati, perpetuam obtinent vitam. Nomen Ecclesiæ in hoc mundo quotidie descendit à Deo de cælo, id est, Ecclesia de Ecclesia per Deum semper nascitur. *Novæ* autem dixit propter novitatem filii hominis Jesu Christi, qui est Jerusalem, & nomen meum novum, quod est nomen Christianorum: cum ante adventum ejus, & Christi, & Sacerdotes, & dii dicebantur hominis dignitates: sed non erat novum, quia multi erant, & nullus ex eis salvare mundum poterat, nisi Dominus Jesus Christus, id est, Rex Salvator. Solus ille Rex est Salvator; hoc est nomen novum, quod est *super omne nomen.* Hic est Rex Regum, qui est super omnes Reges. Sed non quod novum sit istud filio Dei: ut tunc haberet initium, absit: sed solum in carne dicimus novum, qui in principio, antequam mundus fieret, æqualem cum Patre habet claritatem. Sed hoc est novum filio Dei, quod voluntarie fuit mortuus; & resurrexit, quia potuit; & sedet ad dexteram Dei; Filius hominis est qui dicit nomen meum novum. Ipse est quem in principio hujus libri inter septem candelabra aurea viderat. Hic est Filius hominis, Jesus, in cujus nomine *curvatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quotiens Spiritus ea dicit quæ aliter quam sonant intelligenda sunt, ita concludit dicens: *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Explicit explanatio Ecclesiæ sextæ.*

Philip. 2.
v. 9.

Vers. 10.

INCIPIT ECCLESIA SEPTIMA

in libro secundo.

“ **A**ngelo Laodicæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Cap. 3.
v. 14.
 ” testis fidelis & verus, qui est principium crea-
 ” turæ Dei : Novi opera tua, quia neque frigidus, ne-
 ” que calidus es. Utinam frigidus esses, aut calidus;
 ” sed quoniam tepidus es, & non calidus, neque fri-
 ” gidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quoniam
 ” dicis : Dives sum, & locupletatus, & nihil egeo:
 ” & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & cæcus,
 ” & pauper, & nudus. Consilium do tibi, ut emas á
 ” me aurum igne probatum, ut dives sis, & locuplete-
 ” ris, & vestimenta mea alba induaris, ne appareat
 ” turpido nuditatis tuæ : & collyrio inunge oculos
 ” tuos, ut videas. Ego, quos amo, arguo, & casti-
 ” go. Æmulare ergo, & age pœnitentiam. Ecce sto
 ” ad ostium, & pulso : si quis audierit vocem meam,
 ” & aperuerit ostium, introibo ad illum, & cœnabo
 ” cum illo, & ille mecum. Qui vicerit, dabo illi se-
 ” dere mecum in sede mea sicut & ego vici, & se-
 ” deo cum patre meo in sede ejus. Qui habet aures
 ” audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.” *Ex-
 plicit historia Ecclesiæ septimæ.*

INCIPIT EXPLANATIO

supradictæ historiæ Ecclesiæ VII. in libro II.

Angelo Laodicæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit tes-
 tis fidelis & verus, qui est principium creatu-
 ræ Dei : Novi opera tua, quia neque frigidus es;
 neque fervens : utinam frigidus esses aut fervens:
 sed

sed quoniam tepidus es, & non fervens, neque frigidus, incipiam te evomere ex ore meo. Adhuc ipsum fidelem & verum Dominum nostrum Jesum Christum, qui est principium creaturæ Dei, non qui susceperit principium, sed qui dederit, ad Ecclesiam loqui describit, & de torpore quorundam arguere, vel mollitiem increpare significat, cum dicit: *Evomam te ex ore meo.* Quosdam aliqua fatuitate deceptos reprehendit, multo frigore iniquitatis urgeri, nec bonis invenit operibus incubare, sed tepidos in utroque persistere: unde & nequaquam bonorum operum escam Christo, qui bonis actibus satiatur, apponunt, sed in suis delitiis persistentes, fideles se asserunt, sed & evomendos eos à corde suo, & projiciendos protinus comminatur, & dicit: *Neque frigidus es, neque calidus; sed tepidus quia es, evomam te ex ore meo*, id est, non sis in visceribus meis, quia tepidus es. Tepidos enim dicit homines divites credentes, & in dignitatibus conlocatos; sed cum sint credentes, & divites, in suis cubilibus de Scripturis tractant, & disputant, utrum foris sint ab Ecclesia: tamen fideles animæ intelliguntur. Scilicet glorificantes se, & dicentes se omnia Scripturarum præcepta cognoscere, & Deum credere. Prædicti fiducialiter acturos se aliquid in Ecclesia proloquuntur, opere autem vacantes: & ideo ait ad illos: *Neque frigidus, neque fervens esse, id est, neque paganos esse, neque fideles.* Et inde dicit: *Utinam fervens esses, id est, religiosus, fidelis, & sanctus: aut utinam frigidus esses, id est, infidelis, & incredulus, & foras esses de Ecclesia: quocumque modo, aut in bono, aut in malo perfectus esses, & aptus.* Sed quia neque frigidus, neque calidus es, sed tepidus; non eris in cibo meo

comestus, neque in visceribus meis conjunctus. Et quia neque frigidus est iste, neque calidus, omnibus enim omnia est; & cum incredulis, & cum fidelibus, utrimque aptus est; *Evomam te*, ait, *ex ore meo*, quia nauseam mihi facis. Nausea quantum odibilis sit, neminem latet: sicut & quod hujusmodi homines à Christo & ab Ecclesia evomuntur, cum in die judicii foras projiciuntur; & quia sunt divites, & tepidi, & adhuc super cupiditate avari: sed tamen, ut diximus, fideles sunt & Christiani. Quia pauper non potest esse, qui divitias habet: dives non est, qui ex divitiis non operatur; sequitur enim ipse dives litteratus, & fidelis, & dicit: *Dives sum, & locupletatus, & nihil egeo*. Spiritus enim dicit: *Et nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & cæcus, & pauper, & nudus. Consilium do tibi, ut emas tibi à me aurum igne probatum*. Confundit eos qui gloriantur in operibus suis, & exultant in rebus propriis. Si fortè unum nummum pauperi dederint, aut fortè aliquid boni egerint, gloriantur, vel in scientia, aut fide quam tepide susceperunt, & confitentes, nihil se indigere profitentur. Sed è contrario reprehendit eos nec misericordia dignos, sed egenos, & mendicos, ac bonorum operum paupertate defessos; vel qui non aspiciunt nuditatem suam, nec considerant quia nudi & vacui à bonis redduntur operibus. Bonitate solita & ipsos provocat ad salutem. *Suadeo tibi emere à me aurum igne probatum*, id est, de mea passione sumas exemplum, & mittas te in conflatorio tribulationis, ut ab omnibus probatus appareas, quemadmodum & ego probatus sum à vobis; & sequaris me, qui mortuus fui pro te: effundas sanguinem pro me, quemadmodum fudi pro te. *Ut di-*

ves sis, & locupleteris, & vestimenta mea alba induaris, ne appareat turpitudine nuditatis tuæ; utique elemosynis, & actu bono: aurum ignitum igni ipse sis, aurum pressurarum flammis incoctum, elemosynis & justis operibus purgatum; id est, ut sis dives in hoc quod feceris, & vestimenta mea alba vestiaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ. Putabat enim se divitem, & cultu candidum, nihilque turpitudinis operum suorum apparere. Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Hoc est aurum, quod promittitur Ecclesiæ per Prophetam: *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum: pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.* Eloquium, scilicet, Domini, & Evangelium, Apostolicamque doctrinam, aurum esse pronuntiat. Quo qui locupletatus extiterit, spirituales sine dubio divitias promeretur. Et vestimentis albis, id est, nitore bonorum operum decoratur; nec nudatus bonis operibus turpitudine parebit. *Collyrium* autem, quo ungi oculos mandat, cordis est compunctio, & lacrymæ pœnitentis, & revertentium sanabilis dolor: nec iratum se vel odientem loqui testatur, sed diligere potius clamat, dicens: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Ac si aperte diceret: O dives, tu qui legis, intellige quid dicis. Quod si legis, & non intelligis, collyrio unge oculos tuos. Oculi aliquando in Scriptura Sacra duo Testamenta, id est, lex, & Evangelium intelliguntur, quæ credentibus lumen veritatis infundunt. Sicut scriptum est: *Præceptum Domini lucidum inluminans oculos.* Et iterum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Si per verbum Domini inluminantur oculi; inluminentur ergo & divitis cæci. Cognosce Christum qui cæcum inluminavit, expuit in terra, & collyrium fecit

Isai. 60.
v. 17.

Psal. 18.
v. 9.
Ps. 118.
v. 105.
Joan. 9.
v. 6.

cit digito suo , & posuit in oculos cæci nati. Et dixit ei: *Vade ad natatoria Siloe , & lava , & videbis.* Ante quam saliva jactaretur in terra , erat quidem terra , sed lumen cæco non præbebat. Juncta est saliva cum terra , & digito commixta ; & sic linivit oculos cæci nati. *Abiit , & lavit , & vidit.* Saliva Evangelium est , terra lex. Quid facit ergo lex sine Evangelio ? quæ non dat lumen cæco , sed juxta viam dimittit stantem , quia nec in via facit gradientem. Descendat ergo Christi saliva in terra , & colligat terram , & misceatur digito Spiritus Sancti , & ungat oculos divitis cæci , & vadat ad natatoria Siloe , qui dicitur *missus* , ad eum qui dixit : *Non sum missus , nisi ad oves quæ perditæ erant domus Israel.* O dives , si legis & credis , quia Jesus missus est ad te , quære prophetiam , quare venerit ad te. Lege Evangelium , & cognosce quanta passus est pro te. Carum te habuit , quia de caro pretio sanguinis sui redemit te. Quid retribues ei , quem de servo liberum fecit ? Audi quid tibi petat , *aurum igne probatum.* Hæc est vera retributio , cum sanguis sanguine compensatur. Hoc ergo collyrio inunge oculos tuos , ut videas , ut quod libenter per Scripturas cognoscis , hujus & opus facere coneris. Et quoniam hujusmodi homines de grandi peccato ad grandem redeunt pœnitentiam , non solum sibi sunt utiles , sed multis prodesse possunt ; non parvam , sed grandem mercedem eis promisit , *sedere in solio judicii sui.* *Ego quos amo arguo , & castigo : æmulare ergo , & age pœnitentiam.* Suscitat ad pœnitentiam peccatissimo opere depressum , & ad imitationes Sanctorum invitat : ostendit quia in Ecclesia habentur quos imitari & sequi deberet : acsi aperte diceret : *Imitare eos quos cruciari vides pro nomine meo.* Omne enim corpus

Matth.
15.v.24.

pus divitum in uno homine comprehendit, sicut & in omne corpus Episcoporum unum Angelum Ecclesiarum. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Stat salus nostra Dominus Jesus Christus, & januam nostri cordis impellit. Et qui respiciens à peccatis suis, & pesulum malitiæ, & præfocationem cordis abjecerit, intrabit sine dubio, & manducabit cum eo, & delitiis eum justitiæ satiabit: acsi aperte diceret: *Domus mea erit, & ego ejus habitator, sicut ipse dicit: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Et ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et post hanc correctionem quid bonis actibus promittat, dicit: *Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in sede mea, sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ipsius.* Confessorem quem dicit, participem potestatum promittit. Nam cum dicat in sede Patris sedisse; quomodo cum illo sedebit, qui vicerit, cum ipse Unigenitus in sede Patris potestate sedeat, sicut ipse ait: *Cœlum & terram ego impleo? Quid est ergo in throno Dei sedere, nisi quiescere, & gloriari cum Deo, & ejus beatis adsistere tribunalibus, atque inconcussa præsentia illius felicitate gaudere? Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

INCIPIT EXPOSITIO SEPTEM ECCLESIARUM:

qualiter & septem nominantur spiritualiter per Arcam Noe declaratur.

Gen. 6.
v. 13.

ET dixit Dominus ad Noe: *Tempus omnium hominum jam venit ante me, quia repleta est terra malitia eorum. Et ecce disperdo eos, & omnem terram.*

ram. *Fac itaque tibi arcam de lignis quadratis, nidos & nidos facies, & bituminabis eam.* Si arcæ istius fabricam per quam justus homo Noe naufragium mundi meruit evadere, diligenti cura & sollicita animadversione velimus inspicere, proculdubio magnum Sacramentum spiritualis gratiæ in ipsis mensuris, & conjunctionibus, inveniemus esse dispositum. Sic enim ait: *Facies arcam trecentorum cubitorum longitudine, & quinquaginta cubitorum latitudine, & triginta cubitorum altitudine. Collectam (1) facies arcam, & in cubito consummabis eam desuper. Et ostium facies de latere deorsum; & bicameratam, & tricameratam facies eam: & reliqua.* Hæc itaque Arcæ fabrica Ecclesiæ nostræ typum perspicue indicabit: Noe vero Christi figuram habuisse nulla est dubitatio, quippe qui ex Hebræo in Latino sermone Noe *requies* appellatur, sicut & pater ipsius Lamec cum nomen ei imponeret, prophetavit. Sic enim ait: *Faciet nos requiescere ab operibus & mœroribus manuum nostrarum in terra quam execratus est Dominus.* Ut ergo Noe in omni terra solus justus inventus est, & cunctis in cataclysmo aquæ pereuntibus ipse solus cum domo sua salvatus est, quia solus Deum sibi bene vivendo fecerat pium, quem contrario actu mundus iratum; sic & cum venerit Dominus judicare sæculum in flamma ignis, tunc malis omnibus ac refugarum Angelorum, cunctisque mundi sceleribus daturus est finem: Sanctis verò solis requiem in regno futuri ævi præbiturus. Nam arca hæc, quæ de lignis imputribilibus constructa est, venerandæ, ut dixi, fabricam Ecclesiæ indicabat, quæ semper est cum Christo mansura. Septem animæ, quæ Noe Sancto & jus-
to

Gen. 5.
v. 24.

(1) *Versio antiqua, & Hieronymus*: Colligens facies arcam.

to donantur, septem Ecclesiarum typum habuisse noscuntur, quæ per Christum excidium judicialis incendii sunt evassuræ, & in nova terra cum Christo sunt regnaturæ. Sed fortassis aliquem moveat, cur septem dicuntur Ecclesiæ, cum una sit in universo orbe diffusa? Septem itaque Ecclesiæ propter septenarium spiritum, cum sit una, pluraliter nominantur. Sicut enim corpus unum est, & septem sunt membra, vel septem membrorum officia, id est, caput, manus, pedes, visus, auditus, gustus, odoratus; ita & unum est corpus Ecclesiæ, sed septiformis carismatum gratia. Sed & septem oculi Domini, & septem stellæ in dextera sedentis in throno, & septem candelabra aurea, & septem lucernæ in tabernaculo Domini, septem Angeli, & septem tubæ, & septem phialæ, & septem mulieres adprehendentes hominem unum (id est, virtutes Ecclesiæ Christum tenentes), & septem columnæ apud Salomonem, quibus domus Ecclesiæ fulcitur atque erigitur; sed & Joannes beatus Apostolus ad septem Ecclesias scribit, & Paulus æque venerabilis Apostolus ad septem similiter Ecclesias Epistolas dedit, ad reliquas autem nominatim scripsit, ne numerum septem Ecclesiarum excederet: nam & septem panes in Evangelio, & septem sportæ plenæ fragmentorum superantes, septiformis Ecclesiæ imaginem indicabant. Et ideo ait Scriptura Divina: *Introivit Noe in Arcam, & septem animæ cum eo.* Septem istæ animæ septem, ut dixi, Ecclesias indicabant: in unaquaque Ecclesia septem Ecclesias esse breviter adprobabo. Septem enim sunt Carismatum dona, ut per Isaiam vatem inclytum Dominus manifestare dignatus est: *Et requiescet*, ait, *super eum Spiritus sapientiæ, Spiritus intelligentiæ, consilii, virtutis, agnitionis, pietatis*

tatis, *Spiritus timoris Domini*. Quæ omnia omnes habere non possumus, sed singuli singula habemus. Omnia verò solus Christus Dominus habet, qui corpus est integrum. In nobis verò singula, qui deputamur in membris. Quicumque igitur ex numero fratrum in una & in eadem Ecclesia consistentium habuerint Spiritum sapientiæ, hi omnes habentes unum carisma unam Ecclesiam faciunt. Ecclesia enim congregatio Sanctorum interpretatur. Denique Beatus Apostolus Paulus cum ad Ecclesiam scriberet, quid esset Ecclesia addidit, dicens: *Sanctis & fidelibus*: ac per hoc quicumque Sancti fratres & fideles habuerint Spiritum intelligentiæ, alteram Ecclesiam, quasi alteram classem, faciunt. Simili quoque ratione quicumque habuerint Spiritum consilii, tertiam classem quasi tertiam Ecclesiam faciunt. Et quos Spiritus virtutis suppleverit, hi in quarta Ecclesia numerantur. Pari modo, & quos Spiritus agnitionis inundaverit, in quinta Ecclesia deputantur. Sic & quos Spiritus pietatis adunaverit, sextæ Ecclesiæ numerum ostendunt. Et quos Spiritus timoris Dei conjunxerit, hi ad septimam Ecclesiam referuntur. Cum enim separati sumus singuli, singula carismata habemus: cum autem in unum convenimus, omnes unam, & integram, & perfectam septiformem Ecclesiam, quæ Christi Corpus est, facimus. Hæ sunt septem animæ, quæ Noe, qui Christi imaginem portendebat, in excidio aquæ donatæ sunt. Per aquam enim justi salvantur; ita peccatores & impii puniuntur. Sicut septem istæ Ecclesiæ in fine sæculi, pereuntibus cunctis nationibus, per Christum sunt ab ignis, ut jam dixi, cataclysmo liberandæ, & cælestis regni gloriam percepturæ. Quia sicuti nullus cataclysmum aquæ potuit evadere, nisi qui in arca

Ephes. I.

est reservatus, sic & nemo in die divini iudicii poterit effugere, nisi quem Ecclesiæ Catholicæ arca taverit. Quod autem bicamerata & tricamerata arca fuisse refertur, mansionum loca, & habitationum qualitates, quæ Sanctis in regno Dei sunt præparata, evidenter ostendit. In una etenim camera paradisi figura est: in altera terræ novæ, ubi Jerusalem cælestis est descensura, ut fiat in ea, sicut scriptum est, habitatio Dei cum hominibus. De qua terra beatus Joannes ait:

Cap. 21. *Et vidi, ait, cælum novum, & terram novam, & civitatem Jerusalem cælestem descendentem de cælo in terram novam.* Et Isaias: *Sicut cælum novum, & terram novam, quam ego facio perseverare in conspectu meo, sic perseverabit semen vestrum, & nomen vestrum, dicit Dominus Omnipotens.* In tertia camera, cælorum regnum. Inde est quod & Salvator noster ac Do-

Isai. 66.
v. 22.

Joan. 14.
v. 2. *minus in Evangelio dicebat: Multæ sunt habitationes apud Patrem meum, qui est in cælo. Sic autem de*

Matth. 5.
v. 10. *cælorum regno scriptum est: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cælorum. De paradisi autem mansionem ipse ita*

Dominus probat cum dicit: Vincenti, ait, dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Terræ autem novæ mansionem similiter manifestat, cum dicit: Beati mansueti, quia ipsi possidebunt terram. Sed &

Prov. 2.
v. 21. *Salomon ait: Sancti relinquentur super terram, impii autem expellentur ab ea. Harum itaque trium mansionum pariter rursus idem beatus Isaias meminit di-*

Isai. 40.
v. 31. *cens: Sustinentes Dominum mutabunt fortitudinem, pennigerabunt tamquam aquilæ, current, & non fatigabuntur, ambulabunt, & non esurient. Volabunt itaque in cælum, sicut aquilæ pennigerantes: current in paradiso, & non fatigabuntur: ambulabunt in ter-*

ram novam, & non esurient, quia escam illic à Deo præparatam accipient. Hanc itaque tripartitam rationem mansionum Sanctorum etiam & Apostolis suis in Evangelio Dominus per parabolam manifestare dignatus est, dicens: *Semen quod cecidit in terram bonam, faciet*, ait, *fructum centesimum*. Centesimum itaque fructum facient, qui in cælum habitationes accipiunt: Sexagesimum, qui in paradiso habitare merentur: Tricesimum, qui in terram novam futuri sunt. Unde jam nobis planum esse debet, arcam istam tricameratam Ecclesiæ, ut sæpe dixi, Catholicæ imaginem perspicue indicasse. Cujus tripartita habitacula, id est, cæli, paradisi, & terræ novæ, retro alium Domino monstrabatur. Verum quod dicit, sic arcæ ipsius fabricam fuisse dispositam, ut latior fuerit in primo unde sumpsit exordium, in medio angustior, & tertio per quatuor angulos collecta, usque ad unum cubitum coarctatæ mensuræ sit consummata, unam habens fenestram de latere; hoc utique significabat, quod in prima parte fabricæ, id est, in prima vagatione Sanctorum latior licentia, & remissior disciplina omnium Patrum & Patriarcharum propter generandam sobolem filiorum esset indulta: & quòd permittendum esset eis plura licitè facere, & liberius gerere quæ vellent: ideo major & spatiosior pars arcæ fabricatur in primis. Media verò, in angustiori mensura redditur, quia mediis temporibus per legem Moysi & Prophetas in angustiori & breviori spatio præceptis constringentibus populus redigendus erat. Tertia verò camera per angulos collecta, & in unum cubitum consummata, hoc significabat, quod per quatuor angulos, id est, quatuor Evangelia, omnis esset Ecclesiæ fabrica coarctanda. Quia *arcta*, ait, & *angusta via est, quæ ducit*

Matth.
13. v.8.

Matth.
7. v.14.

ad vitam. Et usque ad unum cubitum, id est, usque ad mensuram suscepti hominis, quem induit Dominus, omnis esset compago Ecclesiæ redigenda. Denique nemo ad fastigium perfectæ virtutis & gloriæ pervenire potest, nisi per angustias tribulationum, & persecutionum pressuras, quas & in passione sua pertulit Dominus, sicut scriptum est: *Oportet vos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* Sed quod dicit, in cubito consummabis eam; cubitum hoc unum imago est, ut dixi, corporis Christi, qui cubitus ad unitatem perfecti viri, cujus nos membra sumus, non ad mensuram status hominis pertinere videtur. Omnes enim unum sumus in Christo Jesu, ideo in unum cubitum arcæ fabrica consummatur, quia in uno Christi corpore, & in gratia passionum ejus, omnis plenitudo erat Ecclesiæ colligenda. Nam quod Corvum dicit de arca emissum, non fuisse ultra reversum, hoc ostendebat, impuras voluptates hominum de Ecclesia expellendas, & non esse ulterius reversuras. Corvus enim subdolæ & impuræ animæ significat voluptates: & nigri coloris infamia peccatorum injusta vitia demonstrabat. Columba verò, quæ emissa est, cum requiem non invenisset in sæculo, rursus in arcam reversa est, Sancti Spiritus imaginem indicabat. Qui cum fuisset in toto orbe diffusus, & pro iniquitate sæculi requiem apud omnes homines non potuisset reperire, rursus esset in arcam Ecclesiæ revocandus; sicut ipse Dominus in Evangelio Apostolos suos instruit, dicens: *Ad quamcumque domum, vel civitatem, veneritis, dicite: Pax huic domui. Si fuerit, ait, illic filius pacis, veniet pax vestra super eum: sin autem non fuerit illic filius pacis, pax vestra revertetur ad vos.* Proinde Spiritus Sanctus, cum adhuc

Math.
10. v. 11.

huc super gentes requiem non invenisset, quia necdum in Christo crediderant, reversus est in arcam Ecclesiae Apostolorum, donec sublatis iniquitatibus peccatorum, cresceret in cunctis nationibus fidei disciplina quemadmodum Sanctum Spiritum accipere mererentur. Denique subjunxit Scriptura: *Et iterum dimisit columbam de arca, & reversa est columba ad eum sub vespera habens ramum oleæ in ore suo.* Quod ergo ramum oleæ attulit, testimonium pacis & resurrectionis perspicue indicabat, & quod lignum passionis ore suo prædicans ac præferens pinguem gratiam carismatis tribuere haberet. Sub vespera autem, quod in fine sæculi advenire haberet. Mensura verò arcæ trecentorum cubitorum longitudo figuram dominicæ crucis evidenter ostendit: trecenti etenim apud græcos *Tau* littera signantur, quæ littera unum apicem quasi arborem erectam facit, alterum verò ut antennam in capite extensam, crucis utique habitum demonstrabat; quo mysterio & longitudo vitæ credentibus datur, & latitudo terræ novæ tribuitur, & altitudo cælestis regni præparatur. Quod quinquaginta erant cubiti latitudinis ejusdem arcæ, hoc significabat, quod Pentecoste, id est, quinquagesima die post passionem dominicæ crucis Spiritus Sanctus descensurus esset, per quem & spem salutis, & cælestis regni gloriam consequi & obtinere possumus. Triginta verò cubitis arcæ altitudo tricenariam ætatem Domini manifestat, qua hominem, quem induit, per officium Joannis in Jordane baptizavit: triginta etenim annorum erat, ut Evangelista testatur, cum per aquam baptismatis, susceptum, ut dixi, hominem, donis cælestibus inlustraret. Est ergo altitudo in mensura ætatis corporis Christi, sicut beatus Apostolus Paulus ait: *Donec occurramus*

Gen. 8.
v. 10.

Ephes. 4.
v. 13.

omnes in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei in virum perfectum in mensura ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli. Longitudo autem in passione dominicæ crucis, qua credentes, in fide signantur: Latitudo in die Pentecostes, quo Sanctus Spiritus super credentes advenit. Videtis ergo, dilectissimi fratres, omnem istius arcæ fabricam in sacramento venerandæ Ecclesiæ fuisse præmissam, & non posse aliter homines nisi per Ecclesiam de excidio totius orbis evadere; sicut & in cataclysmo mundi nemo remansit, nisi quos arca incluserat. Et proinde laborandum nobis est, ut Deum & Dominum nostrum toto corde rogemus, ut in Ecclesia Dei Catholica fideles in Domino permanere mereamur. Tunc enim subsequenter præmia, si cum omni pacis & concordie fœdere, evangelicæ fuerint à nobis institutionis jura servata, ut vere felices ante conspectum Dei Patris Omnipotentis esse possimus.



INCIPIIT LIBER TERTIUS, recapitulata Christi nativitate, eadem aliter dicturus.

Post completum septenarium (1) Ecclesiæ, quam per hebdomadam hujus mundi sigillatim divisim specialiter nominibus partitus est; iterum quod vidit edisserit: *Post hæc, inquit, vidi, & ecce ostium apertum in cælo.* Post tantæ manifestationis claritatem, quam fideli mente perspexerat, ipsa cælorum illi secre-

(1) *Codices, septimanarum.*

creta aperiuntur, & demonstrantur divini absconsa mysterii. Intro inspicit mente, & secreta Dei fidei de liberatione considerat. Apertum sibi ostium recognoscit, quo ad tantæ majestatis notitiam avida mente perveniat. Sic totum tempus Ecclesiæ diversis figuris repetit, dicens: *Vidi ostium apertum in cælo*. Ostium apertum, Christum dicit natum, & passum, qui est janua. Cælum, Ecclesiam dicit, quo procedente scriptura nos metipsos videmus. Merito autem Ecclesia cælum nomen accepit, quod sit habitaculum Dei, ubi cælestia geruntur. Hoc est quod in cælo voluntatem Dei fieri postulamus. Aliquando autem cælum & terram Ecclesiam dicit, propter terrenam carnem, quæ cælo consentit. Aliquando cælum & terram, Ecclesiam & gentes. Terra enim & bona est, & mala. Sicut Apostolus de Christo ait: *Pacificavit omnia per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cælis, sive quæ in terris*. In cælo non erat scandalum; sed inter cælum & terram discordia erat. Sed tamen in Judæa semper Ecclesia mixta fuit cum Deo, sed mente, non tamen corpore innovato. In terra tamen inter Judæicum & Gentilem populum discordia erat. Idem namque Apostolus dicit, utrosque innovatos & Deo reconciliatos. Et quia gentilitas sine Deo erat in mundo, jam est cum Christo. Et qui aliquando fuerant longe, per sanguinem Christi facti sunt prope. Et ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem sepi, solvit inimicitiam in carne sua, quoniam per illum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Sicut Lucas ait: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia advocavit cælos sursum, & terram discernere populum suum*. Multa in aliquibus cælum & terra probatur

Colos. 1.
v. 20.

Ephes. 2.
v. 13.

Luc. 2.
v. 14.
Psal. 49.
v. 4.

tur Ecclesia, quæ brevitatis causa reliquimus, quia cælum probamus animam hominis esse, & terram terrenam carnem. Et anima & caro mixta, utraque spiritualiter consentiens. Ideo dicimus & cælum Ecclesiam, & terram Ecclesiam. *Explicit explanatio ostii.*

INCIPIIT HISTORIA EJUSDEM IN LIB. III.

Cap. IV. **E**T vox prima, quam audiui, tamquam tubam loquentem mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post ea. Et fui in spiritu: & ecce thronus positus erat in cælo, & supra thronum sedens, & qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis, & iris in circuitu sedis similis aspectui smaragdino. Et in circuitu throni vidi sedes viginti quatuor, & supra sedes viginti quatuor seniores sedentes, in veste alba, & in capitibus eorum coronas aureas: & de sede procedunt fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ignis ardentis, qui sunt septem Spiritus Dei; & in conspectu throni sicut mare vitreum simile crystallo." *Explicit historia.*

INCIPIIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ in eodem libro III.

ET vox prima, quam audiui, tamquam tubam loquentem mecum, dicens. Significat non aliud audisse, sed post superni apertionem ingressus eam vocem audisse, quam audierat: sed adhuc illi Dominus quasi nescio quid secretum suum inciperet revelare, dum consternatus potentiæ contemplatione ad pedes caderet majestatis. Denique ut non carnale ostium sentia-

tiamus, vocem primam quam audit, tubæ consimilem facit, in qua vox facta collecto intrinsecus flato, dum exclamat, sonum facit extrinsecus; sic & is, qui à Domino susceperat verbum, mente percipit inspirando sine sono quod exterius proloquatur. Tamen & illi ad intelligendum est apertum ostium, id est, declaratum Evangelium: vocem primam quam dicit, legis & Prophetarum eloquia, ut concordent nova veteribus, fiatque illud quod Psalmographus ait: *Semel locutus est Deus, duo hæc audiivi*, id est, in his quæ per Scripturam Sanctam ad patres nostros protulit, nos erudiendos curavit. Hoc intelligi subtilius potest, quod Pater Unigenitum æqualem sibi filium genuit. Loqui enim Dei est verbum genuisse. Semel autem loqui est verbum aliud, præter Unigenitum, non habere. Et enim post inspirationem animorum, post mysterii revelationem ait: *Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc*. Ascensum quem dicit, despecto mundo venire ad Ecclesiam, sicut scriptum est: *Venite ascendamus ad montem Domini Sion*. Hoc ad credentes dicebat, sicut scriptum est: *Ambulabunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Sion*. Ingrediens Sancta Sanctorum, ubi præcursor intravit Dominus noster Jesus Christus in sanguine passionis suæ factus Pontifex in æternum, invitatur hic Sanctus ipsam domum (1) potiri jam sentiat cognovisse veritatem, sed ea quæ oportet fieri in futurum intelligat. Statimque dicit: *Fui in Spiritu*. Quis non sentiat nihil carnale loquutum, qui in spiritu ingres-

*Psal. 61.
v. 12.*

*Isai. 2.
v. 3.
Psal. 83.
v. 8.*

(1) *Burgensis Codex Domini: Alter domum: neuter congruum nobis sensum suppeditat. Rimari illum forte sic poteris: Invitatur hic sanctus, ut ipsam Dñi. postquam sentiat cognovisse veritatem, ea quæ oportet fieri in futurum intelligat.*

sum se fuisse describit? Nihil Sanctus Joannes probatissimus de Deo suo corporale, nihil terrenum excepit: sed fuit in spiritu, ut aspiceret Dominum majestatis. Qui in spiritu attendit, non in carne conspexit. Denique dicit: *Ecce sedes posita erat in caelo, & supra sedem sedens.* Sedes posita, Regnum est supra Regnum, hoc est, potentia residet, fortitudo & veritas deitatis in Ecclesia. *Et qui sedebat*, inquit, *similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis, & iris erat in circuitu sedis, similis sardino, & smaragdino.* Lapis enim jaspis viridi & acutissimo fulgore radiatur, ut intelligas carnem adsumpti hominis Christi absque peccati contagione susceptam, perpetuæ sinceritatis vigore clarescere, & divinæ virtutis inhabitatione præfulgidam. Sardonis autem, lapis est rubicundus, sed quadam obscuritate sublucens, ut intelligas integritatem intemeratæ carnis ex verecunda & humili adsumptam virgine. Sive ut aliter per hos duos lapides quæ recognoscas, audi. Jaspis aquæ color est; Sardis, ignis: hæc duo judicia posita esse usque ad consummationem orbis super tribunal Dei. Exinde manifestatur duorum judiciorum ordo: unum jam consummatum est in diluvio per aquam, aliud consummabitur per ignem. Istæ comparationes in Ecclesia conveniunt, quam Dominus indutus est. *Et iris in circuitu sedis.* Iris autem circum solium eosdem colores habet. Iris & arcus dicitur, de quo Dominus locutus est ad Noe, & ad filios ejus, ne timerent in generatione Dei: *Statuam*, inquit, *arcum meum in nubibus*, ne jam aquam timeatis, sed ignem. In arcu verò color aquæ & ignis simul ostenditur, quia ex parte est niger, & ex parte rubicundus, ut in ambobus iudicii testis sit, unius videlicet faciendi per ignem, alius jam

fac-

facti per aquam. Aliter quippe arcus per ignem & aquam Spiritum Sanctum significat & baptismum, quia post Christi adventum & virtus Sancti Spiritus humano generi claruit, quod electos Dei & aqua baptismatis lavit, & igne divini amoris accendit. Sicut veritas ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei.* Qui arcus in nube est in die pluvia. Nubes caro Christi est: pluvia ejus verba praedicationis. Quia in dominica incarnatione infusio praedicationis ostenditur, ut ad veniam corda credentium Domino parcente revocentur. De hac nube scriptum est: *Qui ponit nubem ascensum suum.* Nubem quippe Dominus ascensum suum posuit, quia qui per divinitatem ubique est, per carnem ad caelestia ascendit. Quem Ezechiel antea in speciem electri, & velut aspectum ignis, & velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluvia, ita vidit. In electo aurum argentumque miscetur, ut res una ex metallis duobus fiat. In qua & per argentum auri claritas temperatur, & per auri claritatem species clarescit argenti. In Redemptore nostro ambæ naturæ divinitatis & humanitatis indivise atque inseparabiliter sibimet sunt unitæ, ut per humanitatem divinitatis ejus claritas nostris potuisset oculis temperari, & per divinitatem humana in eo natura claresceret. Possumus & praedicatores sanctos nubes appellare, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur, quia & in terra viventes extra terram fuit omne quod egerunt: quia in carne ambulantes, non carne, sed spiritu militarunt. *Et in circuitu throni vidi sedes viginti quatuor, & supra sedes viginti quatuor seniores sedentes in veste alba: & in capitibus eorum coronas aureas.* Ecce apertissime manifestavit Patriarcharum & Apostolorum coronam,

Joann. 3.
v. 5.

Ps. 103.
v. 3.

Ezech. 1.
v. 4.

nam, qui sanctæ cathedram supersedere doctrinæ. Quos seniores etiam, id est, Patres appellat. Circumamictos albis, id est, justificationibus, & puritate vestitos. Portantes in capitibus coronas aureas, præsentium effecti victores. Trucidato malignitatis hoste diabolo coronas à Domino receperunt. De quibus coronis vas electionis edisserit: *Cursum consummavi, fidem servavi.*

2.Tim.4.
v. 7.

De cetero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex. Non solum mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus. Inde ergo Ecclesia per duodecim tribus Israel in duodenario numero est constituta, quod est unus dies. Et quia dies viginti quatuor horarum in diei & noctis spatiis terminatur, & unus dies nuncupatur; ita lex ante adventum, solum in Patriarchis & Prophetis fulgebat, in ceteris verò nox erat. Novum verò Testamentum, quod Christus in carne ostendit, ejus manifestatio lux & dies appellata est. Sol Christus est, Propheta testante: *Ecce vobis, qui timetis Dominum, orietur Sol justitiæ;* qui quasi horas diei duodecim Apostolos elegit. De quibus ipse ait: *Vos estis lux mundi.* Et in hos duodecim

Malach.
4. v. 2.

Matth.5.
v. 14.

Apostolos omne corpus Episcoporum solidavit. Et in omni corpore Episcoporum conjunxit omnem populum christianum, quia sexta die Deus Adam fecit, & mulierem in adjutorium subdere præcepit. Quæ mulier omnem populum christianum significavit. Adam verò omnes Sacerdotes præfiguravit. Sic sunt ergo Christiani spirituales subditi Sacerdotibus sanctis, sicut mulier viro. De illis tamen qui minus perfecti sunt, ipsis Sacerdotibus laborandum est, qualiter per lac prædicationis ad solidum cibum pervenientes, cognoscant Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. De his quæ diximus, Apostolus ait: *Caput mulieris vir.* Caput viri Christus,

Ephes.5.
v. 23.

caput Christi Deus est. Vide membra non separata, quia per Sacerdotes omnis Ecclesia Christo manet copulata. Et in hos duodecim ostendit Apostolos, id est, omne corpus Sanctorum Episcoporum. Sic invenimus in descriptione civitatis Jerusalem de cælo descendentis, de Deo in homine Christo, de Christo in Apostolos, de Apostolis in Episcopos, de Episcopis in Presbyteros, de Episcopis & Presbyteris in ceteros populos. Per hos gradus civitas Jerusalem descendit ad terram: per ipsos quotidie ascendit ad cælos. Isti viginti quatuor throni, excepta officiorum separatione, duodecim sunt: quia & præpositi ex duodecim tribubus Israel promoventur. Et duodecim throni excepto spirituali numero, unus thronus est, id est, Ecclesia. Solus enim Dominus Jesus Christus in eum sessurus est ad judicandum. Sedebit autem & sedet Ecclesia judicans duodecim tribus Israel, id est, Ecclesia in duodenario numero, sed in Christo, in quo est tota: sedebit & judicabit universa membra, sed in uno & per unum caput, id est, Christum. Nam quomodo poterant Sancti in iudicio sedere, stantes ad dexteram iudicis? *Et de sede procedunt fulgura, & voces, & tonitrua, & septem lampades ignis ardentes, quæ sunt septem spiritus Dei.* Intelligi voluit omnem prædicationem veterum Apostolorum, etiam cælestem sanctamque doctrinam, Dei iudicio & Dei inspiratione procedere. Fulgura ergo universorum, verba Sanctorum, & tonitrua, similiter prædicatorum voces accipimus. Omnia hæc ex uno Auctore Deo procedere confitemur. De quibus fulgoribus & tonitruis dicitur: *Vox tonitruui tui in rota.* Rota Scriptura dicitur, ubi & ait: *Illuxerunt fulgura tua orbi terræ.* Cuncta hæc non proprium initium sumunt, sed ex throno Dei, quod est Ecclesia, & ex voluntate, scilicet, & potestate crea-

Psal. 66.

v. 19.

Psal. 96.

v. 4.

toris, vel imperio, procedentia demonstrantur. Septem ardentes lampades ante thronum virtus est septiformis Spiritus Sancti, de qua virtute jam suprâ diximus manifestissimè designatam. Ante thronum, ideò, quia quibus istæ virtutes per gratiam dispensantur, Deo dicuntur adsistere: sicut alibi dicitur: *Et qui appropinquant* Deuter. 33. v. 3. *pedibus ejus* accipient de doctrina illius. Item Ezechiel de hoc igne, & de his lampadibus apertissimè declaravit, dicens: *Aspectus animalium quasi carbones ignis ardentis, & quasi aspectus lampadarum.* Aspectus eorum carbonibus ignis ardentibus atque faculis comparantur: quisquis enim carbonem tangit, incenditur: quia quisquis sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis hujus locutionis exemplum operis accipit, ut accendatur in amore veritatis, ut peccatorum suorum tenebras fugiat, desiderio lucis ardescat, & jam per verum amorem ardeat, qui prius in iniquitate, tantum mortuus, quantum frigidus jacebat. Lampades verò lucem suam longius spargunt, & cum in alio loco sint, in alio resplendent. Qui enim spiritu prophetiæ, verbo doctrinæ, miraculorum pollet gratia, hujus opinio longè latèque, ut lampas, lucet. Et qui bona ejus audiunt, quia per hæc ad amorem cælestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadibus lumen resplendent. Quia ergo sancti viri quosdam juxta se positos quasi tangendo ad amorem patriæ cælestis accendunt, carbones sunt. Quia verò quibusdam & longè positis lucent, eorum itineri ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt. Hoc verò inter carbones & lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed ejus loci, in quo jacuerint, tenebras non expellunt. Lampades autem quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras

bras expellunt. Qua ex re notandum est, quia sunt plerique Sanctorum ita simplices & occulti, seseque in locis minoribus sub magno silentio contegentes, ut vix eorum vita ab aliis possit agnosci. Quid itaque isti nisi carbones sunt? Qui etsi per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent: nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino scire refugiunt. In semetipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt. Hi autem qui exempla virtutum prærogant, & lumen boni operis per vitam & verbum itinerantibus demonstrant, jure lampades appellantur: quia per ardorem desiderii, & per flammam verbi peccatorum sordes & errorum tenebras repellunt. Qui igitur in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est. Qui verò in imitationem sanctitatis positus lumen se rectitudinis multis demonstrat, lampas est; quia & sibi ardet, & aliis lucet. Item *ante sedem tamquam mare vitreum simile crystallo*. Mare vitreum, id est, perlucidum, donum baptismi dicit. Aquam mundam stabilem, non vento agitatum, non in proclivo defluentem, sed tamquam donò Dei immobilem, traditam ostendit. Sed cum dicit, in conspectu throni lampades, quæ sunt spiritus, & mare vitreum in conspectu throni; ostendit, spiritum in eò loco esse, quo & fontem baptismi. Mare enim aqua est, & non est dulcis, sed amara. Quid est hoc mare, nisi baptismus & pœnitentia? Sic enim ait: *Ante sedem tamquam mare vitreum, simile crystallo*. Vitrum enim cito frangitur, ita & baptismus in nobis cito frangitur, & periclitatur. Lubrica est enim via sæculi hujus, glaciali iniquitate constricta: quoniam cum modicæ concupiscentiæ calor resolverit, facilior est ad lapsum ruinamque miserorum. Jeremias

in profundum putei sub iniqui Regis potestate demergitur, id est, justitia in peccatorum cœno, cum à diabolo fuerit superata, demergitur. Sed hunc Æthiopus, fidelis peccator ad pœnitentiam conversus, adsumptis triginta viris, id est, sive beatæ auxiliium Trinitatis, sive cum labore animæ spiritus & corporis, de profundo putei, missis ad eum pannis veteribus, hoc est, reductis in memoriam ejus veterum patrum actibus, qui per peccatum lapsi postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superna relevati sunt, antiquis exemplis absconditis; & funibus, id est, testimoniis Scripturarum, à cœno eximet, & luci restituet. Comple & tu legem Moysi. Cecidit asinus fratris tui sub pondere, id est, caro victa à peccato est; inclina te & humilia, & subleva de ruina. Non erubescas homini peccatori subjungi. *Finit explanatio.*

Deuter.
22. v.4.

INCIPIT HISTORIA QUATUOR ANIMALIUM.

Cap. IV.
v. 6.

“**E**T vidi in medio throni, & in circuitu throni,
 ” quatuor animalia, plena oculis ante & retro.
 ” Animal primum simile leoni, & secundum animal
 ” simile vitulo, & tertium animal habens faciem
 ” similem hominis, & quartum animal simile aui-
 ” læ volanti. Hæc quatuor animalia singula eorum
 ” habebant alas senas: & in circuitu & intus plena
 ” sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte
 ” dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domine Deus
 ” Omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus
 ” est. Et cum darent illa animalia gloriam, & hono-
 ” rem, & benedictionem sedenti super thronum, pro-
 ” cidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in
 ” throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum,
 ” mit-

»mittentes coronas suas ante thronum , dicentes : dig-
 »nus es , Domine Deus noster , accipere gloriam , &
 »honorem , & virtutem ; quia tu creasti omnia , &
 »propter voluntatem tuam erant , & creata sunt. Et
 »vidi in dextera sedentis super thronum librum scrip-
 »tum intus & foris , signatum sigillis septem. Et vi-
 »di Angelum fortem prædicantem voce magna : Quis
 »est dignus accipere librum , & solvere signacula ejus?
 »Et nemo poterat neque in cælo , neque in terra , neque
 »subtus terram aperire librum , neque respicere illum.
 »Et ego flebam multum , quòd nemo dignus inventus
 »esset aperire librum , nec videre illum. Et unus de se-
 »nioribus dixit mihi : Ne fleveris , Joannes. Ecce vicit
 »leo de tribu Juda , radix David , aperire librum , &
 »sigilla ejus. Et vidi in medio throni & quatuor ani-
 »malium , & in medio seniorum agnum stantem , qua-
 »si occisum , habentem cornua septem , & oculos sep-
 »tem , qui sunt septem Spiritus Dei , missi in omnem
 »terram. Et venit , & accepit de dextera sedentis su-
 »pra thronum librum. Et cum accepisset librum , illa
 »quatuor animalia , & viginti quatuor seniores cecide-
 »runt ante agnum & habebant singuli citharas &
 »phialas aureas , plenas odoramentorum , quæ sunt
 »orationes Sanctorum ; & cantabant canticum novum
 »dicentes : Dignus es , Domine , accipere librum , &
 »aperire signa ejus , quoniam occisus es , & redemisti
 »nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu , & lingua ,
 »& populo , & natione ; & fecisti nos Deo regnum
 »& Sacerdotes , & regnabimus in terra. Et vidi , &
 »audivi vocem Angelorum multorum circa thronum ,
 »& circa quatuor animalia , & circa seniores ; & erat
 »numerus eorum millia millium , dicentium voce mag-
 »na : Dignus est agnus , qui occisus est , accipere

Cap. V.

„potestatem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.
 „Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & in terra
 „& subtus terram, & in mari, & quæ sunt in eis,
 „omnes audivi dicentes: Sedit in throno, & agno,
 „benedictio, & honor, & claritas, & potentia in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen.
 „Et seniores ceciderunt, & adoraverunt.” *Finit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO

quatuor animalium.

ET *vidi in medio throni & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro.* Quatuor animalia quatuor Evangelistarum est forma. Quod plena ante & retro oculis introducuntur, præterita vel futura Dei continere mysteria, vel utriusque legis secreta sonare dicuntur. Et per contemplationem rerum spiritualium omnem sanctæ divinitatis enuntiare fidem, & mysterium secretorum cælestium patefacere demonstrantur. Deinde uniuscujusque forma disponitur. *Primus leoni comparatur, secundus vitulo, tertius homini, quartus aquilæ.* Siquidem in Evangelio Matthæus in ordine primus ponitur, quia primus scripsit: sed in mysterio majores nostri primùm Marcum posuerunt, eo quod præcursor Joannes viam præparans Christo: quia Marcus plenus Spiritu Sancto scripsit Evangelium Christi eloquio græco in Italia, sequutus Petrum ut discipulus. Is initium à spiritu prophetali fecit dicens: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domino:* ut ostenderet, Christum post assumptionem carnis Evangelium prædicasse. In mundo enim ipse Christus Propheta dictus est, sicut scriptum

tum est : *Prophetam in gentibus posui te.* Bene ergo *Jerem. 1.*
 majores nostri personam Leonis Marci Evangelistæ *v. 5.*
 significare describunt. Et reverà apertissime & vere
 disseritur , quia & liber ejus sic incipit : *Initium*
Evangelii Jesu Christi filii Dei , sicut scriptum est
in Isaia Propheta : Ecce mitto Angelum meum , qui
perspiciet , vel præparavit ante faciem tuam. Sed
 non est mirum , quod hîc Isaïas pro Malachia est po- *Malach.*
 situs : nam hoc testimonium certissime in Malachia *3. v. 1.*
 legi dignoscitur : siquidem Isaïas interpretatur *Salus*
Domini. Malachias , *Angelus :* & ideo in exordio
 Evangelii pro Angelo , id est , Malachias , salutem
 Domini , quod est Isaïas , voluit nuntiare : ut per fi-
 dem Evangelii vitæ præsentis & futuræ stabilem per-
 petuitatem induceret : deinde etiam quid nuntius diceret ,
 quod est Angelus , Isaïæ verba adsumit , & dicit : *Parate*
viam Domino , rectas facite semitas *Isai. 40.*
Dei nostri , ut promissa & pollicita salute , nuntium *v. 3.*
 veritatis ostenderet , & corda hominum ad percipiendam
 gratiam repararet. In hoc autem forma leonis est ,
 quia Joannem in deserto prædicantem , & deserta
 amantem , ostendit , sicut dicit : *Fuit Joannes in de-* *Marc. 1.*
serto baptizans , & prædicans baptismum pœnitentiæ *v. 4.*
in remissionem peccatorum.

Secundum animal , simile vitulo , Lucam dicit ;
 qui inter omnes Evangelistas græci sermonis , etiam
 & medicus , in Græcia Evangelium scripsit Theo-
 philo Episcopo , initiatus à Sacerdotali spiritu , dicens :
Fuit in diebus Herodis , Regis Judææ , Sacerdos
Zacharias , ut manifestaret , Christum post nativita-
 tem carnis & prædicationem Evangelii , hostiam fuisse
 effectum pro salute mundi. Ipse est enim Sacerdos de
 quo dictum est in Psalmis : *Tu es Sacerdos in æter-* *Ps. 109.*

num secundum ordinem Melchisedech. Ubi enim Christus advenit, Sacerdotium Judæorum obmutuit: lex, & prophetia cessavit. Bene ergo Lucam similem vitulo dicit: vitulus enim in persona sacerdotum ponitur, sicut dicitur in Isaia: *Beati, qui seminatis super omnes aquas:* Semen verbum dicit: Aquas, populum: *Immittentes pedem bovis & asini*, id est, judaici, & gentilis populi. Et hic initium suum de Zachariæ Sacerdotio adsumpsit, & dicit: *Fuit in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos nomine Zacharias.*

Isai. 32.
v. 20.

Et tertium animal, habens faciem similem homini, Matthæum dicit, qui primus Evangelium conscripsit litteris hebraicis & sermonibus in Judæa, initians evangelizare ab humana Christi nativitate, dicens: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham:* Significans descendisse corporaliter ex semine Patriarcharum Christum, sicut promissum erat in Prophetis per Spiritum Sanctum: quia genealogiam Domini secundum carnem voluit in sui libri Matthæus principio nuntiare.

Et quartum animal, simile aquilæ volanti, Joannem dicit, qui in Asia Evangelium ultimus scripsit, incipiens à Verbo, ut ostenderet eundem Salvatorem, qui pro nobis dignatus est nasci, & pati, ipsum ante sæcula Dei Verbum esse: Ipsum è cælo venisse, & post mortem iterum ad cælum remeasse. Hi sunt quatuor Evangelistæ, quos per Ezechiel Spiritus Sanctus significavit in quatuor animalibus. Propterea autem in quatuor mundi partes fides Christianæ religionis eorum prædicatione disseminata est. Animalia autem dicta sunt, quoniam propter animam hominis prædicatur Evangelium Christi. Nam & oculis plena erant intus & foris, quoniam prævident Evan-
ge-

gelia, quæ dicta sunt à Prophetis, & quæ promiserit in priori. Crura autem eorum recta, quia nihil pravum in Evangeliiis est. Et alas senas tegentes crura, & facies suas: velata sunt enim, quæ tegebantur in adventum Christi. Evangelium autem græcè, quod in latino interpretatur bona adnuntiatio: Gæcè enim *eu*, bonum dicitur, Angelus annuntiatio: unde & Angelus nuntius interpretatur. Bene ergo Joannes aquila volans scribitur, quia neque de humanitate Domini, neque de Sacerdotio, neque de Joanne in Eremono conversante, sed deserens omnia humilia, ad ipsam altitudinem cæli contendit: & quasi more aquilæ volantis de ipso proprie loquitur, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Sed quæstio oritur, quomodo hæc quatuor animalia & in medio throni, & in circuitu throni, plena oculis ante & retro, scribuntur? Nisi pro locis spiritualiter intelligantur. Quod si localiter secundum litteram intellecta fuerint, errorem facient. Jam enim supra dixerat in medio throni sedentem Christum, & per circuitum throni seniores: nunc autem dicit in medio throni animalia, & per circuitum throni eadem animalia. Sed si aurem cordis adponitis, hæc omnia cognoscetis esse spiritualia; quia solum de capite dixit, & membris. Thronus enim græcè, sella interpretatur latinè, quem hic aliquando sedem, aliquando thronum dicit, ubi Christus sedeat. Hic thronus Ecclesia est, supra quam Christus sedere dicitur. Et hæc animalia, quæ dicit in medio throni, & in circuitu throni, eadem esse animalia, id est, in medio Ecclesiæ Evangelia, & per circuitum ostendit mixta esse, & unum omnia. Quia & Evangelia in senioribus, & senio-

res in Evangeliiis sine se esse non possunt. Quomodo enim erant animalia in circuitu sedis, ubi jam supra dixerat viginti quatuor seniores occupasse locum, nisi ut intelligas seniores & animalia unum esse? In medio throni quod dicit, in Christi corpore Ecclesiam conjunctam cognosce, ita ut caput & membra unum hominem intelligas fieri. Plena oculis quod dicit ante & retro, legem & Evangelium intellige, sive & Spiritum Sanctum per præcepta divina fidelibus inspirare, & ante & retro omnia circumsipientia, & præterita & futura consipientia. *Animal primum simile leoni.* Fortitudo Ecclesiæ ostenditur in leone, sicut dicit: *Ecce vicit leo de tribu Juda.* Sed quomodo sit fortis Ecclesia, in secundo ostendit: *Simile*, ait, *vitulo*, id est, victimæ: hæc est enim fortitudo Ecclesiæ victimari. Et quid sit leo, & vitulus, in tertio declarat: *Habens*, inquit, *faciem sicut homo.* Humilitatem dicit Ecclesiæ, quæ cum habeat adoptionem filiorum Dei, videtur ut homo, nihil præter humanitatem possidere, sicut de Domino dictum est: *Cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniavit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit se obediens factus usque ad mortem.* Et quæ sint animalia tria, in quarto conclusit, dicens: *Similem aquilæ volanti.* Hic in aquila nihil de terreno nominavit, nisi ut qui fortis fuerit in passione, sit in leone: & qui semetipsum semel obtulerit in holocausto, sit in vitulo: & qui rationalis fuerit, id est, præterita recordetur, præsentia ordinet, futura provideat, ut eum à quo factus est patrem recognoscat, & qui in opere eniteat, sit in homine. Et nihil proderit, si more aquilæ in contemplationis penna semper in cælo oculos fixos non ha-

Philip. 2.
v. 6.

buerit. Hæc fecit semper Patriarcharum & Prophetarum Ecclesia antequam incarnata esset divinitas. Cum & adhuc Sol justitiæ in corpore non fulserat, ut dies manifestaretur; tamen illi in istius sæculi noctem in cælo, id est, in Ecclesia, fulgebant sicut stellæ. Postquam verò Sol veritatis emicuit; & divinitatis suæ lumen per carnem manifestavit, & subditus legi ministrum se ostendit, & Apostolos duodecim, ut diem faceret, elegit; & in hæc quatuor animalia omnem Ecclesiam congregavit. Et dum illa tria aliquis complexset, more aquilæ in quarto cælo ubi cadaver suum ire conspexerat, semper contemplationis oculos figeret, ut semper liber à terra, suspensus duorum Testamentorum gubernaculis, elevaretur. Hæc faciunt membra, quæ cum capite cupiunt esse unita.

Hæc quatuor animalia singula eorum habebant alas senas per circuitum. In his quatuor animalibus ostendit viginti quatuor seniores: nam senæ alæ quatuor animalium viginti quatuor alæ sunt. Et in circuitu throni vidit animalia, ubi se dixerat seniores vidisse. Nam quomodo animal sex alis simile potest esse aquilæ, cum aquila duas habeat alas? Aut quomodo illa tria animalia, id est, leo, vitulus, & homo, alas habere dicuntur, cum earum speciem habere non videmus? Sed hoc in mysterio, non ut sonat, esse credamus. Senas autem alas habere describuntur, quia in his sex diebus hebdomadæ præsentis, quo mundus constat sui vaticinii verba diffundunt. Quod quatuor autem senas alas habere dicuntur, quod duodecim bis viginti quatuor fiunt, id est, bis duodenas; Patriarcharum, & Apostolorum sancta doctrina est, qui sui mundum vaticinii præconio docuerunt. In hac eademque doctrina laus Trinitatis exponitur, & sine requie *Sanctus* ter repetitum nomen ad-

seritur. Quæ laus ad unum Omnipotentem perlata, Deum Trinitatem unius substantiæ manifestat. Hunc ante omnia, & per omnia, & post omnia sæcula memoratorum Vatum doctrina prædocuit, eundemque venturum ad iudicium omnium perfectorum adserunt voces. Et quia aquilam Ecclesiam diximus, dignum est, ut duas alas ejus interpretando, duo Testamenta esse dicamus, pro quibus Ecclesia ad cælum volare dignoscitur. Sic enim in hac aquila conclusit omnia, & à tribus animalibus aquilam posuit ultimam. Et quia illa tria non volant, sed ista sola, apertè cognoscas, quæ in contemplationis mente defigitur, ipsam nuncupari Ecclesiam. In Ezechiele verò per Sanctum prophetiæ spiritum hæc pennata animalia subtiliter describuntur, ut hæc Evangelistarum significaret personas, ipsas nobis subtilitas descriptionis aperiat, nihilque sermo Dei nostro intellectui dubietatis relinquat. Ecce enim dicitur: *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quod enim quatuor hæc pennata animalia Sanctos quatuor [significent] Evangelistas, ipsa uniuscujusque libri Evangelici initia testantur. Nam qui ab humana generatione cœpit, jure per hominem Matthæus exprimitur. Qui per clamorem in deserto, rectè per leonem Marcus. Qui à sacrificio exorsus est, benè per vitulum Lucas. Qui verò à divinitate Verbi cœpit, dignè per aquilam significatur Joannes, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Dum ipsam divinitatis substantiam intendit, quasi more aquilæ oculos in cælo fixit. Sed quia electi omnes membra sunt Redemptoris nostri, ipse autem Redemptor noster caput est omnium elec-

Ezech. 1.
v. 10.